



Dissertatio medica de opio ejusque principiis, actione inter se comparatis

<https://hdl.handle.net/1874/9237>

181855

DISSE^TRAT^IO MEDICA
DE
OPIO EJUSQUE PRINCIPIIS,
ACTIONE INTER SE COMPARATIS.

QUAM,
QUOD DEUS BENE VERTAT,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI
IODOCI HERINGAE, E. F.

THEOL. DOCT. ET PROF.

AMPLISSIMIQUE SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMA
MAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

GERARDUS JOHANNES MULDER,
RHENO TRAJECTINUS.

AD DIEM XVI MARTII MDCCXXV, HORA XII.

TRAJECTI AD RENUM,
EX OFFIC. JOII. ALTHEER.

M D C C C X X V.



P A T R I O P T I M O
S A C R U M.

*„ Nous suivons les anneaux d'une chaîne infinie ;
„ nous pouvons bien, en ne la quittant pas, remon-
„ ter d'un anneau à un autre ; mais le point où la
„ chaîne est suspendue n'est pas à la portée de nos
„ faibles mains.”*

BIOT Traité de Physique.

I N T R O I T U S.

Non immerito a medicis practicis quere lac audiuntur, novum rursus medicamentum, novum principium fuisse inventum et commendatum in hoc vel illo morbo. Augetur sic disciplinae amplitudo, immunitur vero haud raro artis medicae valor. Non enim indigemus tanta rerum congerie, tantisque medicamentorum catervis, ut homines, morbis sanabilibus decumbentes, ab his liberentur. Longe alia ratione hoc fieri posse Hippocrates aliqui antiqui aevi medici practici utique demonstrarunt. Posteriorum etiam temporum Hippocratem, nostrum Boerhaavium, haecce magni pretii habuisse, aureum illius docet symbolum, artem exercituri semper ob oculos ponendum: *simplici veri sigillum*. Felieius plerique sanantur morbi remediis simplicibus, quam maxime compositis, et a nostra natura valde alienis; ita enim omnia miscere videris ut scopum attingas.

Quis tandem progrediente hoc, quo hodie procedit, modo, omnem artem amplectetur? Ex ipsa igitur rei natura, quia medicus omnia scire

nequit, et adminiculorum in hominum salutem adhibendorum cognitio non maximam disciplinae totius constituit partem, efficitur, ut quisque medicus, in primis junior, sit coäctus, sibi quaedam eligere medicamenta, quae ab omni parte bene examinet, horumque vires, agendi modos et adhibendorum quantitates et formas bene cognoscere studeat. Quibus tum rite cognitis, vix, nisi raro et in ancipitibus casibus, alia tentat. Reducitur igitur totum ad partem, sicque magis compositum simplex fit.

Alii aliter operantur, plura adhibent, et avide novum inventum medicamen applicant, ut tandem miserum quandam a diu vexante morbo liberent. Neque prorsus immerito hi loquuntur: moriuntur hodie etiam homines, cum tamen medicus ab adhibitis vix unum effectum salutarem observaverit. Ne tamen cogitemus artem alia unquam ratione nos fore exercituros! Empirice enim pleraque adhibemus, quia veram corporis fabricam plane nescimus. Licet enim fere semper certum quandam effectum praefliterit aliquod medicamentum, inde tamen non sequitur in praesenti etiam easu certissime eundem hunc effectum praestitum iri. Latent nos quam plurimae conditiones, quae concurrere posunt ad inpediendam adhibiti ejusdam medicamenti actionem.

Quanquam haec vera sint, tamen non sequitur Hippocratica ratione apparatum medicamentorum hodie semper simplicissimum esse adhibendum. Morborum enim numerus valde est auctus, augēbi-

bitur forsitan denique , augeatur igitur jure , si possit ,
adminiculorum quantitas , interdum etiam fortiorum.

Ut necesarium est medico arcani forte adhiberi .
di compositionem cognoscere , ita etiam necessa-
rium medicamenti cuiuscumque principia consti-
tuentia bene eruere. Et mirandum revera medi-
cos , arcana numquam adhibituros , audire , de ex-
aminato composito medicamento , ut regni organici
plurima sunt , dicentes : hoc non opus esse , nos-
que tamdiu integro hoc usos fuisse medicamento
bono cum effectu , adeoque non requiri ut am-
plius quidquam de eo cognoscamus. Quasi fieri
non posset , ut amplius hujus medicamenti agendi et
adhibendi modi cognitio extenderetur. Falluntur ,
haud dubito , et ; si ex illorum sententia tantum es-
set agendum , diutius adhuc in tenebris versaremur ,
in quibus ex ipsius rei conditione fatis diu versati
fuimus. Ipsa enim medicamenta examinando haud
raro pervenimus ad principia singularia activa ,
quae , licet saepius sola adhibita nimis activa sint ,
quam ut illa ferre poscit aeger , tamen cognosci
debent et interdum adhiberi integra , aut minus aut
magis modificata , quam ipsa natura nobis illa lar-
gitur. Utuntur autem , qui aliter hic sentiunt , hoc
argumento : ipsa natura jam aliquomodo sunt in
actione modificata principia illa activa , adeoque
quid opus est , ut separentur et pura habeantur ,
dein vero aliis misceantur ut adhiberi cum fructu
queant? Hisce non obstiterim , si omnia a natura
producta , ad speciem eadem , ejusdem quoque es-

fent naturae; sique ea, quibus natura principiorum actionem temperaverat, eodem salutari modo operarentur ac illa, quibuscum arte jungi possunt; si tandem omnia cognoscerentur, quae ipsum principium activum enervare possint, aut ejus actionem mutare, ut adeo haec in praescribendis formulis vitari possent.

Singulorum videmus exemplum in cortice peruviano. Et primo quidem medicamen ad speciem idem compositione saepius a genuino cortice differt. Scil. cortex integer si nobis offertur, omnino detegi potest, num cortex peruvianus sit genuinus nec ne; si autem in pulverem fuit conversus hoc difficilius fit, imo saepe adulteratio detegi nequit, quod tempore caritatis hujus medicamenti hac in regione plurimi sunt experti.

Deinde in ipso cortice diversa invenimus principia, quae cum genuinis principiis activis sunt juncta, ut principium lignosum, coriarium, rell.; quae autem principia ita ejus usui obstant, ut interdum, licet indicatus sit cortex contra morbum, propter infaretum, ab illis principiis peregrinis metuendum, contraindicetur. Sistendum igitur est, ubi progredi potuissemus, si separata fuisse in antecesum principia activa et juncta vehiculis magis innocuis.

Denique saepissime ipsi cortici nonnulla medicamenta fuisse addita, quae ejus actionem enervant et etiamnunc addi, abunde cognitum. Exempli loco sit magnesia decocto adjuncta, qua chininum et cincherinum praeципitantur, adeoque hac saltem

tem parte activitate destituitur, cum ipsius corticis partes activae liquore non amplius contineantur. Si autem principia chemice antea fuerint examinata cognoscetur, quodnam medicamentum addi possit, quodnam addi debeat, ut bene effectum praestet.

Si haec de medicamentis in universum valent, praecipue valebunt de maxime activis, de iis quae minima dosi adhibita magnum effectum praestant. Etenim si integra massa e maxime a se invicem diversis principiis constat, medicus, casui singulari adaequatam dosin praescribens, haud raro experitur, vix aliquid effecti optati apparere, dum tamen, quemadmodum in magis activorum remediorum usu saepius locum habet, periculum in mora est: majorem dosin praescribit, neque nunc effectus observatur, et moritur aeger, qui medicamenti principio singulari solo, vel cum aliis rite conjuncto, exhibito, forsitan in vivis suiset servatus.

Inter haec, de quibus nunc quaestio est, medicamenta, *opium* jam statim offendimus. Hoc enim granorum aliquot dosi corpori applicatum, immensos edit effectus hocque ex omnibus maxime compositione diversum esse observatur.

Est autem succus plantae, nomine *Papaveris somniferi* cognitae, qui acquiritur incisionibus capitum harum plantarum, et expositione ad radios solares indurescit. Plerumque tamen opium hisce in regionibus tam purum non habetur, verum ipsa papaveris pericarpia exprimuntur prelo, sucus productus evaporatur igne, et sic, in-

puritatibus variis junctus, ad nos adseritur, ita ut, si non fraudis studio cum aliis junctum sit substantiis, variae tamen plantae partes ipso opio combinatae inveniantur. Longe vero abest, ut tale opium, etiamsi inpurum, huc semper habeatur; contra variis substantiis alienis, uti succo liquoritiae aliisque adulteratur, et foliis aliisque, a quibus difficulter secernitur, plantarum partibus constituentibus, junctum ad nos adseritur (1).

Non immerito igitur jam dudum medici conati fuerunt principium activum ex opio extrahere, et hoc aegrotantibus exhibere, ut hoc medicamentum praescribentes noscerent, quamnam tandem dosin praescribere debeant, ut effectus prodiret. Insuper chemici opium analysi submiserunt, ut scirent quibusnam principiis constitueretur. Non autem valde in his sunt provecti, et quoniam vix duae opii species sibi perfecte similes inveniuntur, et quia conditio artis chemicae ante aliquot annos nondum erat ad illud fastigium delata, ut facile bona vegetabilium analysis institui posset. Diversi igitur chemiei diversa sibi acquisivisse visi sunt principia, quae varia ratione quam maxime a se invicem differebant. Ita autem factum est, ut non nisi lentissimo gradu eo peryenerint, quo nunc esse videntur in cognoscendis opii principiis.

His-

(1) De opium acquirendi modo, quem tantum ut dicta illustrarem exposui, Conf. Murray *Apparatus medicaminum*. Tom. 2. p. 254. Göttingae 1794.

Hisce igitur perpensis, mihi videbar tempus studiorum meorum academicorum ultimum maximo cum fructu posse impendere, si explorarem horum principiorum diversorum effectus viresque et agendi modos. Quibus inter se comparatis mihi forsitan appareret, an proprie opium integrum, an ejus principia in medicina sint adhibenda. Quod igitur pro viribus in hac dissertatione exponere conabor.

Hunc adeo in finem, postquam legeram de argumento quae praeципue de eo scripta fuerant, benevolentia Clarissimi P. J. I. de Fremerij, Physices, Chemiae et Materiae medicæ in schola veterinaria Profesoris, factum est, ut in Scholæ illius laboratorio chemico pulcherrimo, opii principia praeparare possem, ut adeo certus essem, illa pura esse. In quibus parandis assiduo mihi adstitit Pharmacopola secundi ordinis van Setten, Chemiam etiam accuratius tractans, quam vulgo quidem fieri solet. Deinde plurimis animalibus, favore Clarissimi Numan, Praxeos veterinariae Profesoris, illo loco mihi procuratis, illa principia singularia exhibui, et effectus simul cum Cll. Numan et de Fremerij observavi. Ex quibus conclusionem optatam tandem facere potui. Hisce igitur Viris Clarissimis pro iis beneficiis aliisque multis in me collatis maximas ago gratias.

Omnia autem hisin paginis referre, quae de opio scripta fuerunt, mihi minime erat animus; quia, ea quae proprie in nostrum usum adhiberi posunt, pauca sunt; et

remota potius non adducere vellem (1). Opii etiam principiorum virtutes chemicas aliaque plurima Clarissimus Stratingh, in suo libro de opii principiis, ita collegit, ut frustranea essent conamina hunc Virum Clarissimum vel imitari tantum velle. Alia igitur via ingressus sum.

Exponam scilicet primo, titulo historiae literariae, breviter tantum illa, quae ad hunc usque diem de opii principiis a chemicis scripta sunt, ut sic quisque facile omnia ad argumentum pertinentia invenire possit. His accedet quoque expositio praeparationum, quas institui, ut pura acquirerem opii principia.

Secundo effectus enumerabo, tam ab aliis quam a me ipso in hominibus et animalibus observatos, ab exhibitis, cum opio integro, tum singularibus ejus principiis.

Tertio de viribus et agendi modis singulorum agam, illaque inter se comparabo.

Quarto denique corollaria practica ex allatis faciendo erit occasio.

Avide hanc primam arripiō occasionem, qua vi-
ris praestantissimis, benevolentissimis, non inme-
moris multorum beneficiorum animi quaedam pu-
blica offeram testimonia, quippe qui duces mihi
fue-

(1) Si autem quis quaerit enumerationem fontium librorumque de opio fuisus agentium, audeat Boehmerum in *Bibliotheca scriptorum historiae naturalis* voce *Papaver* Lipsiae 1787.

fuere, quibus mihi propositam viam cum certitudine ingredi possem.

Vobis itaque Clarissimi N. C. de Fremery, Moll, Schröder, Suerman, Wolterbeek! quos praeferim compellare me pietas jubet, ut fautores in studiis meis, cum medicis tum philosophiae naturalis, aliisque, atque in vita regunda adjutores, referto omnia quae in me sunt. Quid esse cerim, si gratias vobis egerim, pro omnibus iis in me collatis benevolentiae documentis, quae, tam in lectionibus vestris privatis, quam quotidiana consuetudine multisque aliis, mihi praefitistis? Quasi digito mihi monstravistis, ubi bona veraque esent invenienda. Sancte itaque pollicor vestrum exemplum, veluti paternum, me eo studio et ardore ad finem servaturum, quo decet gratum discipulum. Hoc unum ex animo voveo ut diu incolumes maneat in Academiae gloriam, in juvenum salutem, qui, ut saepissime equidem soleo, gaudeant se tales praceptorum fuisse nactos, imo nihil magis optent, nisi ut iisdem semper vinculis vobis adstricti sint, quibus me estis complexi.

Quod in omnibus mihi fuisti Clarissime N. C. de Fremery! hoc mihi haud denegasti in conscribenda hac dissertatione. Ad Te igitur, Promotor Optime! in primis etiam dicta referre velim. Tu illud omne quod a praceptorum desiderari posit mihi fuisti, qualis ut semper maneas ex animo precor.

Reliqui etiam Vos Viri Clarissimi! quorum

fectionibus interesse mihi licuit, accipiatis gratias maximas, pro iis quae in me contulistis.

Tibi quoque, Clarissime P. J. I. de Fremery! qui me annis duobus praecedentibus, ad lectulos aegrotantium multorum, in praxi civili, adducere voluisti, publica referenda sunt grati animi specimen, pro hoc, aliisque, quibus mihi opportunitates artem exercendi suppeditare benevole conatus es. Tibi igitur etiam, plurima referenda esse, is scit, qui quanti sit medico praxis medica rite noverit.

Quem vivum admirati sumus et dileximus, immortali nobis aliisque, qui eum cognoverunt, Vosmaerio, praceptor olim aestumatisimo, eruditissimo, clarissimo, gratias esent agendae. Acerbisima autem ejus morte impeditis nihil nobis restat, nisi ut, quod saepissime facimus, privatum doleamus magnorum etiam virorum vitam extingui, atque eos proh dolor! adeo mature jam abripi. Quod, quantum nobis excitaverit atque etiamnunc excitet doloris, is intelligit, qui nos nunquam ab ejus lectionibus exiisse noverit, nisi maxima singulorum admiratione nobiscum invicem communicata. Hujus igitur viri magni, Commilitones amicissimi! cum tamen memoria nobis superest, eam sancte servemus et percolamus ad finem, quia nihil amplius nobis superest quod ei dedicare possumus. Amicitia inter nos magis magisque vigeat, ut conjunctim pro viribus restituere conemur, quod amissimus, quod et doctrinae quam colimus et praceptoris quem audivimus carissimo debemus.

C A P U T P R I M U M.

HISTORIA LITERARIA EORUM, QUAE CHEMICI
IN DETERMINANDIS OPII PRINCIPIIS PRAE-
STITERUNT, ET EXPOSITIO EXPERI-
MENTORUM AD HAEC PRINCIPIA
COMPARANDA INSTITUTORUM,

Inter antiquiores chemicos multos offendimus qui opium suo more analysi submiserunt, quo primo loco referimus Wedelium, qui in sua *Opiologia* ad mentem academie Naturae curiosorum A°. 1692 edita, plura egregia de opii nomine, origine, speciebus, natura, notis exponit, inter alia etiam chemice quaedam de illo disputat, quantum ex distillatione sicca concludere potuit. Varias deinde opii praeparationes exhibet, Cf. p. 32 et 49. —

Cartheuser deinde in ejus *Pharmacologia theoretico-practica*, Berolini 1745 edita, dicit, opium componi partibus terreis inertibus, gummosis temperatoribus, resinosis calidioribus et falino-oleofis,

vel

vel saltem salino-phlogistis, volatilibus, spumidis ac summe narcoticis. Hinc coquendum esse opium cum aqua et, quod in superficie oritur, saepius amovendum, dein filtrandum liquidum superstes et evaporandum, atque aliquo menstruo solvendum, aut acido quodam aut spiritu vini. Cf. p. 332.

Neumann Tom, 2 partis 3 p. 458 *Chymiae medicae dogmatico-experimentalis*, Aº. 1752; de opio experimenta instituit, quibus patere vidit, opium constare ex partibus resinosis, gummosis, salinis, terreis et aqueis. Simil varias exponit opii praeparationes.

Tralles in libro *de usu opii salubri et noxio in morborum medela*, Aº. 1757. Sect. I. pag. 149 Analyсин opii physico-chemicam exposuit, qua plura continentur notatu digna; minus autem bene, sed ut fieri tunc temporis potuerit, ejus analysin tradidit.

Bucquet in *Histoire et mémoires de la Société Royale de Medecine Anni 1776. Mem.* p. 339 varias opii praeparationes ab aliis commendatas exposuit, et suam adjunxit, quae consistit in agitando opio cum aqua frigida, et filtrata solutione illam evaporando.

Baumé in ejus libro *Elements de pharmacie theorique et pratique*, p. 249. Parisis 1797, extractum opii vulgare parandi methodum exponit. Ut autem opium ab odore virulento et qualitatibus narcoticis privaret, praescripsit extractio nem opii per longam digestionem dictam. Opium hunc

in finem aquâ coquitur, liquor filtratur et aliquo modo evaporatur, atque nunc majori calorî per 6 quæsies exponitur, ut per omne fere tempus cum aqua ebulliat. Filtratur tunc et ad debitam consistentiam evaporatur. — Putat Baumé in principio oleoso et resinoso vim opii narcoticam haerere, quae hac operatione secundum illum decomponuntur. Sal vero esentiale opii et materies gummosa secundum illum remanent.

Bucholtz, A°. 1800 opii analysin cum publico communicavit in *Trommsdorffii Journal der Pharmacie*, Tom. VIII. partis I. p. 24.

Opium cum alcohole et aqua cinnamomi extraxit. Residuum cum alcohole, aqua, acido nitrico et aethere sulphurico tractavit, ex quo dein iterum per aquam resinam elasticam praecipitavit.

Opium deinde cum aqua destillavit, quo nulla indicia olei apparuerunt, quod fuscipatus erat; sapor vero et odor aquæ destillatae iidem erant ac opii; acida nec erat, nec alcalina.

Decoctum porro opii evaporavit, quo per dies aliquot quieti exposito in fundo vasis materies rubro-grisea inveniebatur, in acido nitrico cum effervescens solubilis.

Partes opii aqua insolubiles alcohole digesit; post filtrationem et refrigerium flocci deponebantur, quos gluten nuncupat. Residuum aethere sulphurico extraxit et sic resinam elasticam separavit. Residuum harum solutionum tantum putat gluten esse et albumen.

Ex-

Extractum aquosum ex materia saponacea et gummosa constare statuit.

E quibus, aliisque experimentis ei patere visum fuit, opium componi.

Materia saponacea	— 35, 6
— gummosa	— 30, 4
— resinosa	— 9, 0
Resina elastica	— 4, 8
Materia glutinosa	— 11, 4
— lignosa	— 2, 0
perditorum	— 6, 8
	—
	100, 0,

A. A. W. Eccard, A°. 1800 dissertationem scripsit de analysi opii experimenta et cogitata, recentissimam in Medicinisch-Chirurgische Zeitung, A°. 1802, partis 2, p. 433. Cap. 1. continetur expositio historiae naturalis papaveris somniferi et modus parandi opium, Cap. 2. dotes opii et partes ejus constituentes, Cap. 3. praeparationes opii pharmaceuticae. Cap. 4. denique modus agendi opii in corpus humanum.

Dörrfurt in ejus *Neues deutsches Apothekerbuch*, Tom. I. pag. 681, A°. 1801, Lipsiae edito, plura collegit, quae ad illud usque tempus varii de opio scripserant, et Bucholzii experimenta fuisse exposuit.

Pharmacopola Dubuc, A°. 1801 in *Annales de Chimie*, Tom. 38. pag. 181 scripsit Note sur l'opium et sur sa composition.

Statuit principium volatile opii tantum ei esse

accidentale, quod sequenti ratione demonstrare co-
natur. Sumvit opium viscosum quod calefecit ad
temp. 40° - 50° Th. Reaum., quo odor narcoticus
expelli incepit. Hos vapores collegit et condensa-
vit partiū, quo facto liquidum fere limpidum or-
tum est. Reliquum gas permanens erat, animali-
bus valde nocivum, odore eodem praeditum, quo
liquidum modo memoratum. Eundem odorem spar-
gebant folia papaveris albi, per dies aliquot radiis
solaribus exposita.

Derosne, chemicus Parisiensis, Aº. 1802 opium
accuratius examinavit et nova in illo detexit prin-
cipia, quae exposuit in *Annales de Chimie*, Tom.
45. pag. 257.

Aquā digesto opio separavit solubilia ab insolubi-
libus. In solutionem varia reagentia instillavit,
quo facto patuit, illam acidae esse indolis, et alca-
libus aliquid praecipitari, acidis iterum solubile.
Evaporatione hujus solutionis aquosae crystalla orie-
bantur, quae sustulit, et reiterata operatione om-
nia separavit. Extractum opii superfites alchohole
solvit; post quietem sedimentum separabatur, quod
constare putat ex sulphate calcis et potasae, re-
fina, extracto oxygenato, alumina et oxydo ferri.

Extracto opii aquoso alii carbonatē potasae
addidit, et praecipitatū acquisivit alchohole crystal-
lisabile, quae crystalla ejusdem esse statuit indolis
cum modo memoratis, aliquam tamen combinatio-
nem passis. Partem alchohole insolubilem aquā co-
xit, qua sere tota solvebatur; refrigerio autem praē-
ci.

cipitatum pulverem, calcem esse statuit cum materia vegetabili et alumina. Solutionem, carbonatem potasae continentem, evaporavit et crystalla sic acquisivit, quae constitui putat sulphate et forsitan carbonate potasae. Acidum antea, a se in extracto opii aquoso observatum, forte acidum aceticum esse dicit.

Aqua insolubilia opii alcohole digesit, quo facta crystalla iterum acquisivit et materiam oleosam et resinosam. Quod supererat insolubile partes planatarum aquosae erant, cum amylo et glutine junctae. Deinde proprietates faliunt opii acquisitorum determinavit, horumque differentias constituit.

Tandem quaedam de præparationibus adhibendis exposuit.

Seguin 24 Decemb. A°. 1804 multa de opii principiis jam instituerat experimenta, illaque hoc die cum Instituto scientiarum Parisiensi communicaverat, quae autem demum A°. 1814 typis sunt edita in *Annales de Chimie*, Tom. 92. pag. 225. Conf. etiam *Neues Journal der Pharmacie von J. B. Trommsdorff*, Band 1 St. 2. p. 117 A°. 1817.

Opium aqua frigida digesit et hanc solutionem coctione ab odore liberavit, dein alcalibus praecipitavit pulverem, aqua insolubilem, alcohole vero crystallabilem; quae crystalla igni exposita carbonatem ammoniae, oleum, et carbonem residuum exhibuerunt.

Extractum opii aquosum, a crystallis ammoniae liberatum et dein aqua solutum, praecipitatum degit

dit album, ope aquae barytae, strontianae et calcis. Hoc praeципитatum acido sulphurico decomposuit, quo acidum acquisivit sui generis, sulphatis ferri solutionem colore rubro tingens. Hoc acidum modificationem esse acidi malici et acetici putat.

Extractum residuum evaporavit et materiem extractivam acquisivit, alcohole solubilem, et partim etiam aqua. Aquā insolubilia *principium amarum opii insolibile* nuncupat. Solubilia alcohole nominavit *principium amarum opii solubile*.

Aquā insolubilia opii calore liquefiunt et formam olei acquirunt; alcohole partim solvuntur, et Seguin e solutione evaporata crystalla acquisivit, quae prioribus analoga esse statuit; insuper pinguedinem acquisivit aquā insolubili.

Residuum opii, aquā et alcohole insolubile, censebat esse principium lignosum, erat autem alcalibus maxima parte solubile. Ammoniam igitur addidit, et huic acidum sulphuricum instillavit, quo facto praeципитatum oriebatur, quod per aquam calidam in formam glutinis amyli mutabatur. Reliquum, ammoniam non solutum, fibrā dicit vegetabilem.

In 100 partibus opii fere assumit sequentem partium proportionem,

Substantiae crystallinae	4
Acidi singularis . . .	10
Princ. amari insolubilis	12
————— solubilis	20
Olei	20

B

Subst.

Substantiae amyli analogae	10
Fibrae vegetabilis	12
Aquae	10
Acidi acetici	2
	100.

Seguin deinde varias conclusiones ex suis experimentis elicit, et variorum corporum in opium vim exponit, quae autem ad nostrum scopum non faciunt.

Sertuerne horum experimentorum penitus inscius fuit, quo tempore etiam analysin opii instituere inceperat. Et primum A°. 1805 in literis Trommsdorffii *Journal der Pharmacie*, Tom. 13. partis 1. pag. 234 insertis, de acido libero in opio mentionem injecit, cuius proprietatem ferrum pulcro colore praecipitandi observaverat. — Eodem libro, pag. 236, ulterius de hoc acido egit, et in primis magnam ejus ad ferrum affinitatem exposuit. Quibus pauca accedunt experimenta ejusdem Tomi partis 2. pag. 349 inserta.

Eodem anno, Tom. 14. partis 1. pag. 47 Trommsdorffiani diarii, uberior de opii acido aliisque ejus principiis egit. Quo patuit acidum liberum, non vero alcali liberum opio inesse.

Deinde opium cum aqua calida digesit et separavit solubilia ab insolubilibus. Evaporavit solutionem aquosam, supererat sedimentum fuscum. In solutionem superstitem ammoniam instillavit, quo praecipitatum acquisivit. Post horam in eodem liquore sponte iterum praecipitatum producebatur,

quod

quod alius naturae esse putabat. Igni expositis his praecipitatis, supererant alumina et sulphas calcis, quibus etiam meconatem ammoniae junctum esse putabant. Addidit igitur illis acetatem plumbi, quo meconas plumbi separari ei visus est, quem filtro separavit. Hunc per acidum sulphuricum decomposuit, et liquorem acidum acquisivit ferrum rubro colore tingentem.

Opii aliam quantitatem cum alcoholē et aqua digessit et filtravit solutionem. Parti hujus aquā dilutae acetatem plumbi addidit, quo praecipitatum acquisivit, quod iterum decomposuit acido sulphurico. Alteri portioni barytam addidit, et meconatē barytae eodem modo decomposuit. Tertiae quantitati acetatem barytae instillavit et hac etiam ratione acidum meconicum praeparavit. Quae acida pura reddidit addenda ammonia aut baryta, et his salibus iterum decomponendis. Insuper proprietates acidi meconici ordine exposuit.

Alcalibus in solutione opii aquosa productum precipitatum, quod resinam antea putabant, cum alcoholē calefecit, quo solvebatur, ut et per acidum aceticum; praecipitabatur autem denuo aqua et ammonia. Solutiones alcoholicae quieti relictæ post aliquod tempus crystalla dederunt.

Pars aqua non soluta hujus materiae, acido sulphurico digesta, solvebatur; hanc autem miscelam aluminae, glutinis et materiae extractivae nuncupat. Proprietates crystallorum exponit.

E partibus opii aqua insolubilibus alcoholē coctis

etiam crystalla aequisivit, quae quoque proprietate ferrum colorandi gaudere statuit. Acidis solvebantur, alcalibus vero praecipitabantur. Insolubilis acidis supererat materies balsamica, male olens.

Aqua et alcohol insolubilia aethere sulphurico digesit, sive resinam elasticam solvit. Residuum insuper acido sulphurico tractavit, et sub-carbonate sodae praecipitavit materiam griseam, glutinofam.

Ex quibus igitur omnibus illi constitit, opium constare materiam extractiva mixta cum partibus gummosis, materiam balsamicam, principio hypnotico, acido meconico, resina, glutine, resina elastica, sulphate calcis, alumina, materia volatili et partibus plantarum diversis, opio non essentialibus.

Pharmacopola Pagenstecher A°. 1810 opium examinare coepit, quum principium opii a Derosne detectum adhibitum effectus non praestaret, et sua experimenta descriptis in Trommsdorffii *Journal der Pharmacie*, Tom. 19. partis 1. pag. 71. Opii igitur extractum per 24 horas digesit aceto, modo calore, filtravit dein et liquorem praecipitavit carbonate potasae. Pulverem praecipitatum dein crystallisationi subjicit.

Sertuerter A°. 1811 in Trommsdorffii *Journal der Pharmacie*, Tom. 2. partis 1. pag. 99, pauca quaedam exposuit de opio et ejus substantia crystallisabili. In quibus perhibet vim opii non posse derivari a resina, quia haec aqua non solvi potest. Deinde indigenam opii culturam eminio commendat.

Lüdicke A°. 1816, in *Schweiggers Journal für Chimie und Physik*, Tom. 17. pag. 449, probare conatus fuit, opio non contineri acidum hydrocyanicum; quae, quum minus ad nostrum pertineat scopum, silentio transibimus.

Braconnot A°. 1817 mense Maji, in *Journal de Physique*, Tom. 84. pag. 225 analysin opii exposuit in *Mémoire sur le principe extractif et sur les extraits en général*.

Opium primum aquâ digesit, residuum dein cum alcohole tractavit; e solutione hac praecipitabatur refrigerio resina, forma māteriae piciformis. Evaporavit reliquam solutionem alcoholicam, quae acida erat et aquâ praecipitabatur. Praecipitatum in hac productum per ammoniam resinam vocat, constantem ex materia crystallisabili et extractiva. Ex reliquo liquore materies crystallina est deposita priori similis. Eandem esse censet atque sal Derosnii: acido acetico solvitur, et infusione nucum gallarum praecipitatur, potasfā denuo solvitur.

Materies extractiva pura, secundum illum, ammoniam exhibit per destillationem siccām; acido nitrico materies flava producitur. E solutione ejus aquosa per ferri solutionēm praecipitatur pulvis ruber, per aquam calcis et barytae aurantiacus.

Partes opii alcohole insolubiles aquâ maxima parte solvuntur; reliquum albumen esse putat foliutum antea acido opii libero.

Ex liquore a praecipitatis superstite sulphas potas-

sae et calcis sponte sunt praecipitati. Residuum liquorem sal vegetable continere dicit.

Aquâ insolubilem opii partem alcohole coxit, quodque non solvebatur folia papaveris nominat. Liquor refrigerio deposuerat materiem pinguem, crystalla et resinam fuscum, quae acido hydrochlorico separavit.

Censet ex his experimentis Bracconnot constare opium: Principii animalisati amari, aqua et alcohole solubilis partibus. 6, 7

Princ. resinosi fusti, constantis ex materia crystallisabili et extractiva 2, 9

Salis esfentialis opii, sive principii resinosi albi o, 7

Materiae animalisatae parum sapidae, alcohole insolubilis o, 3

Albuminis o, 3

Sulphatis potassae o, 2

Sulphatis calcis

Salis vegetabilis potassae } vestigiis.

Acidi liberi

Materiae pinguis 1, 4

Foliorum papaveris 3, 5

16, 0.

Sertuerner A°. 1817 in Gilbert's *Annalen der Physik, neue Folge*, Tom. 55. pag. 56, multa de-nuo communicavit de morphio et acido meconico, tanquam praccipuis opii partibus constituentibus. Cf. etiam *Annales de Chimie et de physique*, Tom. 5. pag. 21.

Opium

Opium aquâ calidâ digesit, et e liquore opere ammoniae praecipitavit substantiam griseam crystallisabilem, quam *Morphium* vocat, alcohole purificandum, quod alcohol tunc materiem extractivam cum morphio junctam continet. Differentiam morphium inter ac sal a Derosne inventum determinat.

Paravit sub-carbonatem, carbonatem, acetatem, sulphatem, hydrochloratem, nitratem, sub-meconatem et tartratem morphii.

Liquori, ex quo morphium erat separatum, addit hydrochloratet barytae. Praecipitatum acquisitum constare dicit baryta, morphio, acido meconico et materia extractiva. Alcohole abluendo hoc praecipitatum, barytae meconatet purum acquisivit, quem acido sulphurico decomponit. Acidum meconicum sic acquisitum sublimatione purum reddit, et in formam crystallinam redigit. Cum calce junctum hoc acidum sal insolubile utcumque constituit.

Partes etiam opii in aqua insolubiles alcohole tractat, quo facto balsamum acquisivit; deinde vero oleo terebinthinae et aethere sulphurico resinam elasticam separavit. — Coctione etiam residui extracti opii aquosi, a morphio parum liberati, in alcohole, sal Derosnii acquisivit, quod meconatet morphii dicit.

Tandem aliam methodum morphium parandi exponit, coquendo scil. opium in acido acetico, dein vero ammoniam praecipitando.

Eiusdem Tomi pag. 89. idem Sertuerter crystal-

lorum formam Derosnii salis et morphii figura illustrat.

Choulant A°. 1817 in Gilbert's *Annalen*, Tom. 56. p. 342, quaedam de opio communicavit, quae etiam inveniuntur in Büchner's *Repertorium für die Pharmacie*, Tom. 4. part. 1. pag. 53.

Opium cum aqua frigida extraxit, quam solutionem evaporavit; refrigerio crystalla ex ea sunt orta, quae putat esse resinam cum sulphate calcis. Ammoniae ope etiam morphium praeparavit, et aere sulphurico et alcohole purum illud reddidit. Ejus proprietates dein exposuit, atque sulphatem, nitratem, hydrochloratrem, acetatem, tartratem et carbonatrem morphii paravit. Ex residuo liquore acidum meconicum per hydrochloratrem barytae separavit, et sal praeципitatum intensiori igni exposuit cum acido borico in vitro fusō, quo sublimatum est acidum meconicum, cuius proprietates exposuit.

Praeparavit meconatrem potassae, sodae, ammoniae, calcis, barytae. Sal Derosnii etiam nominat super-meconatrem morphii.

Tandem docuit substantiam, quam Neumann, Haller et Tralles in opio invenerant, nihil aliud esse, quam meconatrem morphii impurum.

Robiquet A°. 1817 quasdam observationes scripsit in ea, quae Sertuerne paullo ante de opio communicaverat, quae inveniuntur in *Annales de Chimie et de physique*, Tom. 5. pag. 275. Conf. etiam Gilbert's *Annalen*, Tom. 57. p. 163 et Büchner's *Repertorium*, Tom. 4. part. 1, p. 67.

Ad

Ad morphium parandum loco ammoniae sumvit magnesiam. Eodem modo quo Sertuerner processit ad parandum acidum meconicum, quod hac ratione tantum minima acquisivit quantitate.

Directa methodo porro paravit meconatem morphii, et differentiam demonstravit inter hunc et falsum Derosnii, ita quidem, ut neque ferrum colore roseo tingeret, neque alio quovis modo cum illo conveniret.

Meconatem morphii ope sub-acetatis plumbi praecipitavit, liquorem fuscum superfitem aqua barytae saturavit, quo materiae colorantis multum fuit separatum, et liquor addidit acidum sulphuricum ad barytam saturandam. Liquor acidus supererat, ferrum non colorans. Morphio hic jungitur, sed cum eo non in crystalla abit. Quibus experimentis illi patuit, acidum aliud praeter meconicum opio inesse.

Errorem deinde exponit, a Derosne factum, qui morphium considerat tanquam principium opii crystallisabile junctum potassae, a qua liberari nequit.

Indicat tandem, principium narcoticum aethere sulphurico ex opio posse extrahi, dein vero morphium posse separari eodem modo atque indicatum est. Quare duo haec principia jure a se invicem separanda esse censet.

Harum animadversionum nescius Sertuerner, in Gilbert's *Annalen* Tom. 57. pag. 183. A. 1817, supplementum ad priora ejus scripta exhibuit.

Postquam varia de vi acidi meconici in corpus animale exposuerat, praeparationem praescripsit meconatis sodae. Ex experimentis a Lange institutis patere dicit, auri ad acidum meconicum affinitatem esse majorem quam ferri.

Morphium in aere atmosphaericо servatum in carbonatem verti obseruat. Deinde methodum exponit salia morphii pura reddendi, reiterata scil. solutione in acido hydrochlorico et praecipitatione ope ammoniae. Tandem nonnulla de materia opii extractiva acida adjecit.

Quum autem Sertuerner animadversiones a Robiquet factas vidisset, contra has in Gilbert's Annalen Tom. 59. p. 50. A°. 1818. scripsit. Putat Sertuerner, acidum meconicum sublimatione aliquomodo mutari. — Acidum meconicum et morphium sunt praecipua opii principia; restat adhuc unum quod *oxydum morphii alterum* dicit, quodque praecipuum constitutens nuncupat salis a Derosne inventi, nullam tamen vim exercens in corpus animale.

Opio digesto aethere sulphurico praeter materiam balsamicam duo salia invenit, quorum basis alterum morphii oxydum est. Primum materies fusca ex aethere refrigerato deponebatur, quae ferrum colore rubro inficiebat, et quam opium maxime divisum putat. Porro crystalla et materiam balsamicam acquisivit evaporando aetherem, et residuum aqua et acido hydrochlorico coquendo, ut ab adhaerente morphio illud liberaret. Aqua, cum ma-

terie balsamica cocta, fusca erat, amara et acida, atque per ammoniam praecipitabatur, quod praecipitatum alterum esse morphii oxydum apparebat; illud aqua calida solubile erat, quae solubilitas ab adhaerente acida materia explicari debebat.

Crystalla aethere et oleo terebenthinae purificata ferrum colore rubro inficiebant et acida erant. Ammoniam liquidam iis addidit, qua solvebantur. Evaporato liquore residuum acido hydrochlorico difficulter solvere potuit, et solutio incrustallisabilis erat. Ammonia nunc addita praecipitavit pulvrem quo siccato massam voluminosam, magnesiae analogam, acquisivit, sine odore et sapore, aquâ insolubilem, solubilem vero aethere, alcohole et oleis aethereis. Solutio alcoholica, ut morphium, saporem amarum habebat. Materiam hanc cum morphio eandem relationem habere dicit, quam superoxydum metalli cum ejus suboxydo habet. Continet enim secundum illum plus oxygenii et azoti quam morphium; quare igitur alterum morphii oxydum nuncupanda est.

Vogel A°. 1817 in Schweigger's *Journal für Chemie und Physik* Tom. 20. p. 190. de morphio et acido meconico quaedam exposuit.

Praefert præparationem morphii, præcipitando illud ex solutione opii in aceto per ammoniam, præ illa, in qua ex sola solutione aquosa præcipitatur. Magnesiam secundum Robiquet laudatam ad morphium parandum non commendat. Ex residuo opii, aqua insolibili, alcohole oleuni pingue et crystalla pris-

prismaticā acquisivit, quae statuit morphium esse partim acido saturatum.

Determinat deinde alcalinas morphii dotes.

Ex residuo extracti opii aquosi ope nitratis barytae et acidi sulphurici acidum meconicum paravit, quod ferrum colore rubro inficit et sublimari potest.

Choulant A°. 1818 in *Gilbert's Annalen Tom.* 59. pag. 412. contra ea quae scriperat antea **S**ertuerter, acidum carbonicum cum morphio se non combinare et neutrum sal constituere, quaedam exposuit, et demonstravit, hoc omnino fieri posse ope compressionis gas acidi carbonici in aquam, cui morphium inest.

Vauquelin A°. 1818 in *Annales de Chimie et de Phys.* Tom. 9. p. 282. declarat, Seguin fuisse inventorem acidi meconici et morphii, et simul breviter ea exposuit, quae antea Seguin de opio scriperat. Conf. etiam Trommsdorff *Neues Journ.* Tom. 3. part. 2. pag. 316.

Pagenstecher A°. 1818 in *Trommsdorffii Neues Journ.* Tom. 2. Part. 1. dicit, si opio acido acetico diluto extracto ammonia addatur, tum statim praeципitari pulverem griseum; verum post tempus aliquod elapsum alium pulverem separari. Ambo secundum illum alcohole solvuntur, sed longe aliam habent formam crystallinam.

Meissner, ejusdem libri pag. 341, indicat morphium purum reddi, si acido solvitur, dein vero per alcali praecipitatur. Contra Robiquet statuit, sal a Derosne inventum nil nisi morphium esse.

Bu-

Bucholz et Brandes A°. 1818 in Buchner's *Repertorium für die Pharmacie* Tom. 4. part. I. pag. 1, plura exposuerunt de opii principiis titulo: *Die neuesten Verhandlungen über das Opium.* Quo exponuntur opera a Derosne, Sertuerne et Pagenstecher instituta.

Praeparationem morphii per acidum et ammoniam instituerunt, et varia morphii falia praepararunt, quorum qualitates enumerantur et forma figuris illustratur. Deinde proponuntur morphii proprietates, et quo ad formam, et quo ad relationem ad alia corpora, imprimis illae, quae ejus vim spectant alcalinam.

Vogelii, ejusdem libri pag. 87., de morphio et acido meconico experimenta antea exposita proponuntur.

Pettenkofler, ejusdem tom. pag. 45.; morphium se praeparasse scripsit per ammoniam, ejusque proprietates exponit. Büchner pag. 49. indicat, inter optima opii antidota nuces gallarum, radicem tormentillae similiaque adstringentia esse numeranda.

Methodus acidum meconicum acquirendi per nitratem barytae Pettenkofero non successit.

Alia porro traduntur a Chouant et Robiquet, jam antea a nobis exposita, instituta experimenta.

Quibus igitur omnibus collatis illis patnit, opium constare ex materia narcotica volatili, meconate morphii, sale Derosnii, acido singulari a Robiquet indicato, materia extractiva, gumi-

mi;

mī, resīna, glutine, resīna elastiā, oleō pingūi,
sulphate calcis, aquā et sordibus.

Brāndes A°. 1818 in Buchner's *Repertorium*
Tom. 5. part. 1. p. 141 quaedam de sulphate
morphii communicavit, cuius compositionem et pro-
prietates denuo examinaverat.

Pettenkofer ejusdem libri Tom. 6. part. 2.
p. 244. de hydrochlorate ferri tanquam reagente ad
opium indicandum egit, quippe quo et meconas ferri
solubilis praecipitatur et morphium etiam separatur.

In *Berlinisches Jahrbuch für die Pharmacie* A°.
1818 p. 286. quaedam annotantur de morphio re-
center detecto et acido meconico, quo partim
breviter recensentur ea, quae de hoc argumento a
diversis chemicis in lucem prodierant.

John A°. 1819. ejusdem libri pag. 152, de hoc
argumento plura scripsit. Postquam ortum opii ex-
posuisset, ejus compositionem propriis experimentis
innixam exhibet sequentem :

Morphii	12,0
Acidi meconici fere	2,5
Materiae resinofuscae, durae . . .	12,0
viscidæ . .	10,0
Materiae extractivæ	25,0
Extracti balsamici	1,0
Pinguedinis rancidæ male olentis . .	2,0
Materiae elasticæ viscidæ . . .	2,0
Pericarpiorum papaveris	18,5
Salium nonuullorum et aquæ . . .	15,0
	100,0
	Aci.

Acidum meconicum per acetatem barytae et acidum sulphuricum paravit. Sibi etiam procuravit meconatam ammoniae, barytae, plumbi, ferri, calcis, cupri, sodae, argenti et magnesiae.

Porro de morphio agit nomine *Principii Papaverini*, et plurima exhibet experimenta, quae varii tentarunt hac de re chemici, suasque observationes suaque experimenta addit, ut etiam de actione galvanismi in morphii solutionem.

Pagenstecher A°. 1819. in *Trommsdorffii Neues Journ.* Tom 3. part. 1. p. 357 quaedam de opii natura et compositione enarrat, et differentiam declarat inter morphium varia ratione paratum. Porro resinam, oleum pingue et resinam elasticam se in opio invenisse dicit.

Büchner in *Repertorium für die Pharmacie* A°. 1819. Tom 5. part. 3. p. 329, pauca de acido meconico, morphio et narcotico principio communicavit. Hoc putat esse morphium combinatum cum acido incognito.

Vogel A°. 1820. in *Journal de Pharmacie* Tom 6. p. 179 contra Vauquelin docuit, Sertuer-
ner omnino esse inventorem acidi meconici et morphii.

Geyer A°. 1820. in *Berlinisches Jahrbuch* p. 117
denuo chemicorum attentionem in nostrum argumentum dirigere studuit; dissertatio haec etiam in venitur in *Schweigger's Journ.* Tom 25. p. 382.

Primo de morphio agit, inter alcalia non collocando. Varia ratione illud praeparat et ejus combina-
tio-

tiones cum aliis corporibus exponit, uti cum fulphure, iödio, aliis.

Deinde de acido meconico agit, et naturam liquidorum describit, ex quibus morphitum et acidum meconicum sunt separata.

Opii etiam pulverem cum acidis destillavit fortioribus, et ita liquorem, ferrum colore rubro insufficientem, acquisivit, unde ei patuit, acidum meconicum volatile factum fuisse.

Thomson in ejus *Annals of Philosophy*, mense Junii 1820, p. 470, morphium sese parasce dicit operammoniae, sed purum illud reddidit carbone animali. Componitur morphium secundum illum ex Hydrogenii 1,125, Carbonii 9,000, Oxygenii 10,000, Cf. etiam *Journ. de Pharm.* Tom 6. p. 441, *Trommsd. n. Journ. Tom 5. part. 2. p. 149*, *Schweiggers Journ. n. R. Tom 1. p. 486*, et *Repert. für die Pharm.* Tom 10. p. 126, quo loco proponitur analysis morphii a Göbel instituta qui statuit morphium componi 6,0 azoti, 3,9 hydrogenii, 64,8 carbonii et 25,3 oxygenii.

Bondeau eodem loco dicitur morphium in capsulis et foliis papaveris somniferi non reperiisse, quamquam Vauquelin illud ex succo, incisionibus pericarpiorum papaveris indigeni prodeunte, acquisiverit.

J. G. Hoppe A°. 1820. Lipsiae dissertationem edidit physico-chemicam *de morphio et acido meconico*, qua breviter exponuntur quae huc pertinent, quoque aliorum experimentis de iis constiterit.

Peschier in Trommsdorffii *Neues Journ.* 1821. Tom 5. Part, 1. p. 76. analysin exhibit diversis locis culti papaveris somniferi. Producta atque tem, hac analysi acquisita, comparat cum productis ex aliis plantis narcoticis acquisitis.

Robiquet A°. 1821. in *Journal de Physiologie expérimentale* Tom 1. p. 32., postquam varias extracti opii aquosi parandi methodos exposuit, proponit aethere sulphurico extractum hoc a principio narcoticu liberare.

In *Journal de Pharmacie* A°. 1821. Tom 7. p. 554. extractum offertur dissertationis a de Courde manche scriptae, de novis in opio detectis principiis et variis opii praeparationibus.

E. Grapé A°. 1822. Berolini dissertationem inaugurem scripsit „*de Opio et de illis quibus consistat partibus*”; qua primo expoñuntur papaveris somniferi et opii historia naturalis. 2°. Vis opii in corpus animale. 3°. Chemiae de opii natura disquisitiones, tum ab aliis tum ab ipso institutae. 4°. Opii principiorum vis in corpus animale. 5°. Denique opii antidota.

G. Pfendler A°. 1823. Viennae edidit *Chemische Abhandlung über das Opium und seine näheren Bestandtheile, mit besonderer Rücksicht auf Morphin und die Meconsäure.* — Parte prima continentur papaveris descriptio, methodus opii acquirendi, rell. 20. hactenus de morphio cognita, 3° de acido meconico, 4° de reliquis opii principiis. De qua diss. conf. Trommsdorffii *Neues Journ.* Tom 8.

part. i. p. 670. A°. 1824, quod loco illam, quam hactenus mihi comparare non potui, tantum expositam vidi.

Dumas et Pelletier A°. 1823. in <i>Annales de Chimie et de Physique</i> . Tom 24. p. 183, inter varias corporum organicorum compositiones etiam morphii et principii narcotici compositionem exposuerunt. Morphium scil. secundum illos componitur	ex Carbonici 72,02 Narcoticum ex Carbonici 68,88
Azoti . 5,53	Azoti . 7,21
Hydrogenii 7,61	Hydrogenii 5,91
Oxygenii 14,84	Oxygenii 18,60
—	—
100,00	100,00

Guillemineau A°. 1823. in *Journal de Pharmacie* Tom 9. p. 322, proposuit addere extracto opii aquoso, vulgari ratione formato, tamdiu aquam frigidam, quamdiu evaporando et refrigerio relinquendo miscelam, aliquod oriatur praeccipitatum.

Cl. Stratingh A°. 1823. Groningae edidit *Scheikundige Verhandeling over de Morphine en andere hoofd-bestanddeelen des Opiums*. In hoc vero egregio libello exponit

1°. Historiam opii ejusque analysin et experimenta a Derosne, Seguin, Sertuerner, Pagenstecher, Bucholz, Brandes, Vogel, Pettenkofer, Choulant, Robiquet, Meissner, John et Thomson instituta.

2°. Parandi Morphii methodos, a Sertuerner, Bü-

Buchholz et Brandes, Vogel, Pettenkofer atque ab ipsis institutas. Deinde methodos, a Choullant, Robiquet et Thomponi indicatas, examinat et suas addit observationes suaque experimenta, una cum duabus novis morphiutri parandi methodis. A. Opium per acidum sulphuricum extra hendo, dein morphium per potassam praeципitando. B. Opium coquendo cum acido sulphurico et carbone animali, postea morphium potassam separando.

Deinde præparationes principii narcotici tradit, cun ab aliis tum a se ipso institutas; quibus accedit modus parandi extractum opii aquosum sine principio narcotico.

Porro acidū meconici parandi methodos, a Servettier, Vogel, Pettenkofer, Choullant, Robiquet, John et se ipso institutas, exponit.

3°. Proprietates chemicas morphii, narcotici et acidū meconici enumerat.

4°. De opio indigeno agit, exhibendo observationes, a Pagenstecher, Vauquelin, Vogel, Young, Peschier, Lainé, Howison factas de lactice sativae succo, quibus accidunt propria experimenta de Opio indigeno.

5°. Exhibet vires medicas opii principiorum.

Dublanc junior, A. 1824. in *Journal de Pharmacie* Fevrier p. 103, methodum a Robiquet propositam, ad opium a narcotico principio liberandum, sic mutandam voluit, ut extractum opii cum majori quantitate aquae jungatur, antequam aethere extrahatur.

Hottot ejusdem libri pag. 475, Septembre A^o. 1824, se morphium per ammoniam melius quam per magnesiam parasce perhibet.

Lasaigne A^o. 1824., in *Annales de Chimie et de Phys.* Tom. 25. p. 102, experimenta exposuit ad detegendum acetatem morphii ingestum. Ei patuit extractione materiae suspectae per aquam et alcohol, crystallisari acetatem morphii, quae crystalla amaritie sua cognoscuntur, et quo ad indolem chemicam declarantur praecipitatione solutionis eorum per ammoniam, expulsione acidi acetici per acidum sulphuricum et colore aurantiaco per acidum nitricum producto.

Dublanc junior A^o. 1824. in *Journal de Pharmacie* Août p. 425. laudat tincturam gallarum ad morphium in liquore solutum detegendum, ut jajn ante illum plures fecerant. Ad morphium separandum a principio coriario adhaerente gelatina addenda est, cuius cum major sit affinitas ad principium coriarium quam morphii, hoc separatur, et purum redditur. Si autem ex succo quodam animali, uti succo gastrico, morphium sit habendum, praecipitatum alcohole est solvendum, quo insolubilia manent omnia, praeter combinationem morphii cum principio coriario, quae igitur evaporando alcohol separatur.

Alia etiam ratione separari potest morphium, si cil. liquor animalis ad siccitatem evaporatur, tumque alcohole solvatur, cui solutioni tinctura gallarum additur. Praecipitatur sic omnis gelatina forte

soluta, et morphium solubile tenetur combinatum cum principio coriario, a quo tum ope gelatinæ aditae separatur et purum acquiritur.

Hac ratione partem unam morphii, 10000 partibus liquoris contentam, detexit.

Horum itaque virorum operibus illustrati, sequenti ratione principia opii nonnulla praeparavimus.

Morphium (1). Opii quantumpote puri, bene siccati et in taleolos divisi sumsimus 500 grammata, atque in vase porcellaneo cum aqua destillata igni exposuimus ut solveretur; sensim aquam addidimus ad 6000 gr. usque, deinde carbonis animalis 1000 gr. cum acidi sulphurici concentrati 31,5 gr., aqua antea diluti. — Haec omnia per $\frac{1}{2}$ horam coximus, semper miscelam agitando; filtravimus deinceps lenteo. Quod filtro continebatur residuum cum eadem aquae et acidi sulphurici, qua antea, quantitate iterum per $\frac{1}{2}$ horam coximus, filtravimus denique, et residuum igni exposuimus, renovata aquae et acidi sulphurici quantitate, sed infortunio frangebatur vas, et omnia erant perdita, quae igni erant inposita.

Postquam colaturas duas priores sibi addideramus, et filtraveramus, propter principiorum suspensorum magnam quantitatem, color liquoris profun-

(1) Methodum alteram Cl. Stratingh secuti sumus
Cf. I. I. pag. 66.

fundior erat, quam cogitaveramus. Metuentes igitur carbonis animalis nimis parcam quantitatem nos adhibuisse, liquorem cum 250 gr. hujus carbonis rursus coxiimus, manente tamen liquore post filtrationem eodem fere colore.

Liquori, sulphatem morphii continent, addimus potasae fusae solutionem, quo morphium separatum fuit. Potasae fusae 50 gr. plus quam 63 gr. acidi sulphurici adhibita neutra reddere posse videbantur, quia per filtratus manifesto alcalinas possidebat proprietates. Verum sulphas potasae componitur ex 100 acidi et 117,996 baseos partibus (1). Igitur probabiliter quaedam acidi sulphurici pars phosphatem calcis, carbonibus animalibus contentum, decomposuerat et sulphatem calcis, filtro etiam simul cum morphio separatum, constituerat. Hoc si verum est, liquore nostro acidum phosphoricum etiam continebatur, quod aut potasae aut morphio fuit saturatum.

Quidquid sit, liquorem profunde coloratum filtravimus, morphium a filtro sustulimus, et aqua calida abluimus tamdiu, quamdiu haec colorata per filtrum transiret. Quae supererat copiosa massa erat grisea, quam siccavimus, alcohole 35° coxiimus, filtravimus tamdiu, quamdiu aliquid solvereatur. Supererat fatis magna quantitas sulphatis calcis, alcohole insolubilis. Crystalla, ad vasis parientes

(1) Thénard traité de Chimie Edit. 3^e. Tom 2. pag. 438.

tes orta, denuo alcohole solvebantur et purissima sensim evadebant (1).

Aquam, qua morphium antea erat ablutum, etiam ad siccitatem evaporavimus, residuum alcohole coximus et etiam ex hac solutione morphium acquisivimus, cuius quantitas simul sumta erat 26 gramm.; quae autem quantitas, ut jam antea diximus, infortunio nihil de vera quantitate denotat.

Sub-carbonas morphii. Solutioni acetatis morphii instillavimus solutionem sub-carbonatis sodae. Multum praecipitati albicantis statim deponebatur, quod aqua destillata bene ablutum sub-carbonas morphii erat.

Sulphas morphii. Morphii partem acido sulphurico diluto solvimus, donec saturata essent ambo, quod non, nisi post aliquot dies, quieti miscelam relinquendo factum fuit. Miscelā evaporatā refrigerio egregia crystalla sulphatis morphii sunt orta.

Super-phosphas morphii. Acido phosphorico morphium directa ratione saturari nequit, quare addendo morphio acidum phosphoricum tantum super-sal acquirere possumus. Solutioni super-phosphatis morphii multam aquam addere debuimus,

quia

(1) Maxima morphii crystalla paravimus ponendo vas, cocentratam morphit in alcohole solutionem continens, in aliud majus, aquam calidam continens. Lentissimo omnium refrigerio ad fundum vasis maxima crystalla morphii sunt orta.

quia refrigerio cito irregulariter crystallisabatur,
Post additam aquam sensim autem regularia cry-
stalla orta sunt acicularia, fasciculos constituentia.

Nitras morphii. Difficulter etiam acido nitrico
morphium plane saturatur; si autem steterit per
aliquid tempus hoc acidum cum morphio supera-
bundante, fieri potest saturatio. Lenissimo igne
tantum exponenda solutio aqua diluta, quia aci-
dum nitricum facile in nitrosum decomponi vidi-
mus. Post refrigerium ad marginem vasis lente
admodum crystalla acicularia radiata formaban-
tur.

Hydrochloras morphii. Facilius morphium per
acidum hydrochloricum saturari potest, quod feci-
mus, miscelam aqua diluimus, leni igni exposui-
mus et sibi reliquimus, quo etiam crystalla acicu-
laria in liquore orta sunt.

Hydriödas morphii. Acido hydriödico liquido
nunc morphium additum fuit, quo facto massam
cafeïformem ipso momento oriri vidiimus, quae au-
tem addendo aquam solvebatur. Calefacta miscela
post aliquot dies crystalla edidit acicularia, parum
admodum colorata, ab iodio separato.

Acetas morphii. Facilius aliis acidum aceticum
morphium neutrum reddit, sed tal admodum difficul-
ter in crystalla abire videtur, saltem nobis id nulla
ratione succesit. Contenti igitur fuimus, solutio-
nem hujus salis habuisse, quae evaporata pulverem
exhibit nulla forma crystallina praeditum.

Hydrocyanas morphii. Sibi relicta miscela acidi
hy-

hydrocyanici et morphii per aliquot tempus nulla crystalla exhibuit, quare hoc sal directa ratione parari non posse videtur.

Principium narcoticum. Sumsimus 500 gram. opii siccata et divisa, aqua illud bene excoxiimus, filtrata et evaporata solutione aquosa extractum supererat siccum ponderis 352 gram. Huic aquam addidimus ad syrapi tenuioris consistentiam, tum illud in retortam injecimus et superaffudimus 500 gr. aetheris sulphurici, calefecimus miscelam balneo aquo inpositam per $\frac{1}{2}$ horae, illamque saepius agitavimus. Sustulimus aetherem supernatantem et ad quartam usque vicem cum eadem aetheris quantitate operationem reiteravimus. Aetheris magna parte destillatione ablata, reliquum refrigerio exposuimus, quo facto egregia crystalla sunt orta, quae aethere abluta purum principium narcoticum constituebant ponderis 4, 5. gr.

Alia vice ex 2000 gram. opii, eodem modo aethere tractati, acquisivimus 10, 5 gr. principii narcotici. Differebat autem praeparatio haecce a priori, quod decoctum opii aquosum ante evaporationem separavimus ab illis, quae refrigerio erant deposita. Inde igitur discriminem inter pondera.

Supererat igitur residuum, quiete separatum et filtro inpositum e decocto opii aquoso. Hoc aethere digesto nonnulla tantum crystalla dedit principii narcotici. Idem vero plura exhibuit narcotici crystalla simul cum materie tenace, balsamica vocata;

odore opii notabili gaudente, quae separavimus a se invicem, alcohole illa abluendo.

Acidum meconicum. Extracto opii aquoso, ex quo narcoticum erat separatum, multum aquae addidimus tuncque instillavimus ammoniam liquidam, quo morphium praecipitatum fuit. Filtravimus atque liquori, quo meconas ammoniae continebatur, hydrochloratē barytae addidimus. Praecipitatum meconatem barytae, filtro separatum atque aquā et alcohole, ad morphium separandum, ablutum, acido sulphurico diluto coximus. Reiteravimus hanc operationem, quamdiu adhuc crystalla refrigerio orientur. Haec omnia colligebantur et constabant acido meconico cum materia extractiva juncto, ponderis 21 gr. Dimidiam partem sublimationi submisimus et minimam tantum acidi meconici quantitatē acquisivimus, forma squamarum et acicularum. Altera pars multo alcohole soluta est, et crystalla, reiteratis vicibus orta, abluta sunt, quae autem pura sic non acquisivimus. Solvimus illa aquā et formabatur ad superficiem liquoris pellicula, quae ad fundum vasis descendebat et insolubilis utcumque erat. Postquam igitur per 4 dies steterat, hanc fustulimus una cum subortis simul parvis crystallis fusci coloris, quae igitur acidum meconicum inpurum paululum constituebant, quod servavimus simul cum illo, quod ex liquore evaporato prodiit.

Meconas morphii. Saturavimus hoc acido meconico morphii quantitatē, sed crystalla, propter acido-

do adhaerentem materiam extractivam, erant fusco-flava.

Meconas sodae. Flavi coloris etiam evasit, et irregulariter crystallisatus.

Aqua destillata opii. Ex opii unc. 4 et aquae purae unc. 16 destillavimus unc. 4 liquoris, odorem opii fortiter spargentis.

C A T U T S E C U N D U M.

ENUMERATIO EFFECTUUM, IN HOMINIBUS ET ANIMALIBUS OBSERVATORUM, POST USUM OPII EJUSQUE PRINCIPIORUM.

I. *Opium vulgare et extractum opii aquosum.*

Inter medicamenta nullum sane dabatur, cuius effectibus indagandis magis locus fuerit quam opium. Non tantum ut medicamentum saepissime et omnium forte frequentissime fuit adhibitum, verum etiam inter venena genuina collocatum infelicibus quam plurimis causa fuit vitam amittendi. Cum insuper apud nonnullas gentes pertineat inter diaeteticam materiam, ab hac quoque parte plurima phaenomena prodierunt notatu dignissima.

Itaque videamus primum, quid opium in humanis corporibus effecerit.

Or-

Orfila varias collegit de opio adhibito observations, quas succincte referam (1).

1°. Virgo 22 annorum opium larga dosi assumerat. Sequebatur immobilitas, insensilitas, habitus cadaverosus. Pupilla immobilis, maxilla inferior pendens, mobilis, musculi relaxati, deglutitione impedita, respiratio vix sensibilis, interdum sonora, pulsus naturali frequentior. Calor animalis inminutus. Varia applicabantur stimulantia sine reactione. Rejectio materiae nigrae, liquidae. Mors 17^a hora post opii assumptionem.

2°. Mulier melancholica assumebat scrupulum opii vulgaris. Sequebatur ipso momento status comatosus, somnolentia, pulsus nunc parvus nunc plenus, respiratio irregularis difficultis, et post aliquot horas mors.

3°. Femina 64 annorum gangraena Pottii post perniones affecta erat. Opium adhibebat, quod effectum sedantem praestabat. Tempore nocturno julapium fedans ei procuratum assumferat et sequenti die inopinato somnolentia corripiebatur. Respiratio erat irregularis, facies pallida, pulsus rarus, oculi immobiles, pupillae clausae; post aliquot horas eadem symptomata, sed pulsus nunc plenus, nunc parvus, arteriarum temporalium pulsatio, tandem mors sequebatur.

4°. Juvenis 18 annorum 6 uncias opii assumerat. Per emeticum ei propinatum horum parva por-

(1) Cf. Toxicologie générale Tom. 2, p. 150 seqq.

portio rejecta fuit, hora 5 post assuntum opium. Caput in pectus erat declive, oculi clausi, facies pallida, respiratio lenta, sonora, ut in apoplexia, pulsus 90-96 in minuto primo, irregularis, debilis, manus frigidae, musculi valde relaxati et flaccidi. Per sulphatrem cupri ei exhibitum remisso producebatur symptomatum, sed simul insequebatur vomitus largus materiae odorem opii spargentis notabilem. Dabatur ei aqua tepida, et musculi paulo magis contractiles evadebant. Oculi plerumque erant clausi, pupilla dilatata, respiratio difficultis. Post aliquot horas pedibus bene infistere potuit et ambulare, cum aliquo tamen auxilio. Vomitum tum denuo patitur. Adest dolor ventriculi, calor animalis auctus, et extremitatum frigus. Coma perstabat. Administrabantur infusiones coffeeae et theae largiores, camphora, asa foetida, et somnus frequenter impediebatur, sensus externos stimulando. Mentis compos siebat et ad quaestiones respondebat. Et sic sensim ad sanitatem ejus conditio rediit.

5^a. Juveni alieni drachma opii soluta in vihi quadam quantitate exhibebatur, ut sic victus ab aliis videretur in bibendo vino. Post aliquot horas delirium et somnolentia observabantur. Die sequenti ejus collegae eum visitantes invenerunt, colore corporis livido, sine pulsu sensibili, ore clauso. Moriebatur 15^a hora post ingestum opium. Variis brachiorum et crurum locis tumores lividi inveniebantur, odorem spargentes felibus domesticis suavem.

6^a. Femina mortua est a gr. 36 opii. Cadaveris ven-

ventriculus inflammatus erat, vasaque cerebri sanguine turgida.

7°. Aegrotus mortuus est a gr. 4 opii in clysmate ei applicato.

8°. Tandem status furiosus et spasmi oris ab emplastro opio fuit observati. —

Quarin a guttis 20 laudani liquidi, and injectis, vidit anxietatem summam et paralyzin levem artuum inferiorum oriri. Idem a grano uno opii, viro tetano laboranti, applicato eosdem effectus animadvertisit (1).

Merat in cadavere juvenili opio mortuo inventit pleuram, pulmones et pericardium tota inflammata (2).

Hucusque nonnulla opii effecta considerare potuimus. Videamus nunc Trallesii sententiam; qui opium ex professo fuisus tractavit (3), et cui constituit opium sequentibus gaudere dotibus, si ingeneratur in corpus humanum.

a. Pulsus cordis et arteriarum, adeoque omnem circuitum humorum incitat et accelerat.

b. Calorem corporis naturalem auget.

c. Sanguinem celerius sua vi motum per vasa, et calidorem redditum rarefacit, attenuat, ejusque volumen auget.

D.

(1) Cf. *Animadversiones practicae*. Viennae 1786.

(2) *Diction. des Sciences médicales* Tom. 37. p. 478.

(3) Cf. *Uſus Opii ſalubris et noxiuſ*. Vratislaviae 1757 part. I. pag. 56 ſeqq.

- d.* Respirationem citatiorem et difficiliorem reddit.
 - e.* Sanguinem celerius motum, calidioremque et rariorem redditum copiosius determinat ad caput.
 - f.* Pacat animum eumque exhilarat atque alacrem et audacem reddit.
 - g.* Temulentiam; torporem et ebrietatem inducit.
 - h.* Naturale acumen sensus obtundit et minuit, eoque practer naturam aucto, natos dolores sedat.
 - i.* Vires motui animali famulantes debilitat.
 - k.* Somnum invitat, interdum in altum soporem extensem, qui si ingravescat, accidente vera apoplexia vel convulsionibus, necat.
 - l.* Dormientibus insomnia, abusu autem ejus in somnum non prolapsis sed vigilantibus, phantas mata et deliria parit. Nonnumquam largiore vel longo usu insaniam, stuporem, memoriae defec tum, dementiam et fatuitatem post se trahit.
 - m.* Stimulos venereos infert.
 - n.* Excretionem cutaneam valde et ut plurimum cum pruritu movet, sed alias excretiones ferofas compescit.
 - o.* Functioni ventriculi inimicum est.
 - p.* Alvi libertatem inhibet.
- Inter reliquos auctores, qui opii effectus exposuerunt videamus tantum, ne superflua afferamus, phaenomena a Hahnemannio allata, quae opii ingestionem sequi posunt (1).

P.
u.

Pupilla nunc dilatata est, aut facile dilatabilis, nunc vero contracta; caput retrosum dimotum; spasmi muscularum temporalium adfunt, calor faciei fugax, dolor capitidis pressione inminuendus, odontalgia, sitis, fapor alienus; appetitus nunc auctus, nunc vero deletus; vomitus et sensus ponderis in ventriculo; pulsationes hypochondriorum, pressio et tensio eorumdem; dolores colici, solutio alvi, ejus retentio, tenesmi; dolores uterini; erectiones penis; pollutio nocturna; tussis; respiratio lenta, difficilis, interrupta; dolor pectoris et abdominalis lateris; convulsiones et spasmi; variae sensations in variis corporis locis; sensus roboris; mutatio temperaturae; pulsus latus, fortis (1); frigus extremitatum; sudor auctus; pavores in somno; stupiditas et insensibilitas rell.

D. Young catarrho laborans plus semel opium assumit, et, nisi graviores causae turbantes adesent, somno placido a gt. 20 laudani liquidi affectus est (2). Si autem gt. 30 asfumferat, die sequenti facies inflata erat; calor cutis auctus, et pectoris oppressionem experiebatur. Semel sanguinem e pulmo-

(1) In morbis venereis adhibitum opium pulsuum vix afficit: Cf. Thomasina Thuessink Diss. de Opium in Siphilitide observatis probato, L. B. 1785 p. 8, quo loco (p. 9.) memorat in nonnullis casibus, mercurii ad instar, salivationem produxisse.

(2) Cf. Treatise on Opium founded upon practical observations. London 1753 p. 28.

monibus rejicit die sequenti post adhibitas gt. 30 laud. liquid. Alia vice gt. 40 assumferat et somnum contraxit; verum post aliquot horas subito evigilavit cum idearum confusione. Die sequenti infenfilitate artuum inferiorum afficiebatur cum symptomatibus nervosis (1).

Phthisicus quidam opium saepius adhibebat, hoc que excitabatur et hilaris evadebat. Postquam autem illud solitum effectum ediderat tristis erat tamdiu, donec renovata opii dosi iterum excitaretur (2).

Cl. Murray (3) sanguinem in cadaveribus opio necatis nunc liquidorem nunc spissiorem esse inventum perhibet. Sunt etiam, qui illum non mutatum invenerunt. In nonnullis cadaveribus putredo citius appetet per opium producta, in aliis tardius provenit (4), quamquam in universum portioni carnis infusa solutio opii aquosa hanc a putredine diu servet.

Pulsus non semper majore quantitate opii augetur, minore non semper inminuitur. Expanduntur autem una cum aucta velocitate arteriae (5).

In initio temperatura minor observata est post opium ingestum, postea autem aucta (6).

Quan-

(1) Cf. I. I. p. 29 et 30.

(2) Cf. I. I. p. 101.

(3) Cf. *Apparatus medicaminum. Goettingae 1794* Tom. 2. p. 270 seqq.

(4) Cf. I. I. p. 170 et 171.

(5) Cf. I. I. p. 279 et 281.

(6) Cf. I. I. p. 281.

Quandoquidem opium tam vehementes effectus producere poscit, mirum videtur opiphagos reperi, qui illud largissima consumunt dosi. Ast non nisi consuetudine huc perveniant, et saepissime vehementiora phaenomena, licet opio sint asfueti, apud illos observantur.

Gentes scil. orientales quam plurimae, ut extinentur, opium adhibent integrum, aut varia, quae opium ingreditur, praeparata assumunt. Phaenomena ingestionem sequentia huc redeunt. Hilares fiunt ridentque, atque longe aliter operantur ac antea; nullius rei curam gerunt; timor protus evanescit, licet causae ejus permagna adsint; oculi turgent, facies tumet et ad venerem omnino disponuntur. Si major quantitas ingeratur, inquietudo, angor, tremor totius corporis et idearum confusio saepius observantur. Tandem in somnum omnes incidunt, saepissime somniis jucundissimis perturbatum. Hic somnus per aliquot horas durat et experienti longe alia ratione sese sentiunt, timent et omnis hilaritas evasit; facies deplena observatur et stupidi plerumque novam petunt opii quantitatem, ut denuo excitentur. Quo tandem saepius repetito, sine opio ingestu, ad omnia inpotentes sunt: memoria debilitatur, corpus extenuatur, omnem gratarum et ingratarum rerum perceptionem amittunt, et, ut liquorum spirituorum potatores, variorum organorum torpore saepe extinguuntur infelices; deficiente enim stimulo deficit omnis actio et reactio. Hac quidem ratione majorem sem-

per ingerere debent quantitatem ; sensim autem terminos transgrediuntur dosis , quam corpus tantum ferre potest , et locus stimulandi non amplius datur (1). D. Smith memorat casum hominis , qui , ut somnum sibi conciliaret , quotidie drachmas tres opii ingerebat. Incepérat autem cum gr. 1. (2), Neque rarissima sunt exempla Europaeorum hominum largiorem opii dosis ferentium , qui tamen nonnisi consuetudine luc perveniunt (3). Necantur vero etiam hi dosibus largioribus (4). In consuetis dosis variat pro idiosyncrasia rell. , et in universum dosis gr. ½-1 somnum inducere observatur , atque supra gr. 4. narcotica jam symptomata producuntur. Post dosin majorem assumtam moriuntur saepissime , praesertim in inflammationibus (5).

Et haec quidem quo ad observata in hominibus instituta. Videamus quid experimenta in animalibus capta docuerint.

Ut in omnibus fere fieri solet , ita etiam fuerunt , qui nihil se vidisse ab extracto opio aquo-

(1) Cf. Grapé *disf. laud.* p. 24 seqq. Murray *App. medic.* Tom. 2. p. 275. Blumenbach *Mediterraneische Bibliothek* Tom. 2. part. 1. p. 370 , quo loco imprimis exponitur modus , quo juniorum ophiophagorum cura instituitur , ut opio asfuescant.

(2) Cf. *Dict. des Sciences médic.* Tom. 37. p. 480.

(3) Cf. Tralles I. I. Tom. 1. p. 362.

(4) Cf. id. p. 366.

(5) Cf. *Dict. des Sciences médic.* Tom. 37. p. 479.

aquoſo, canibus dato, dicerent, ut Willifius, Bartholinus, Hoffmann, Neumann, Buchner, Spraegeſel, Lorry rell. Ex Trallesii autem ſententia in illis ſomnolentiam, titubationem, aestum, ſudorem aliaque ſymptomata leviora, gra- viora, brevius, diutius durantia producit (1).

Bidot anatibus extractum opii aquosum dedit; apparuerunt manifesta ſymptomata excitationis ita quidem, ut ſaepius aquam peterent, qua refrigerarentur et inaminueretur fitis (2).

Orfila cani robusto hora 8 matutina 3 grana opii dedit. Hora 10 animal in eadem, atque antea, conditione versabatur. Hora meridiana extremitates posteriores paralyticæ erant, variis musculi faciei et trunci vehementer contrahebantur; habitus erat ſtupidus; pupilla non dilatata; viſus et oſfactus boni; ſtatus laſitudinis; cordis pulsationes lentaæ et debiles. Hora 6 pomeridiana convulfiones fortiores et frequentiores. Post aliquot horas mortuus est. — Ejus cadaveris ventriculus non inflammatus erat, pulmones autem plurimis locis lividi (3).

Grana 2 extracti opii aquosi cani dedit antea deabilitato et cuius oesophagus ligatus fuit, tempore matutino 8^h 30'. Post 20' extremitates posteriores inceperunt paralyticæ fieri: 11^h convulfiones aderant vehementes, ſtupidus erat, sed viſus et audi-

(1) Cf. I. I. Tom. 1. p. 160.

(2) Cf. *Annales de Chémie*, Tom. 62. p. 289. A^o. 1807

(3) Cf. *Toxic. gén.* Tom. 2. p. 143.

ditus boni: 3^h post merid. extremitates posteriores prorsus paralyticae erant: 6^h debilissimus, 8^h mortuus est. — Apertis ventriculo et intestinis nulla inflammationis aderant indicia. Cordis ventriculorum sanguis niger erat et coagulatus. Pulmones variis locis lividi (1).

Ano canis minoris injecit gr. 1 opii extracti aquosi, aqua soluti. Eodem fere tempore rejicebatur materies et post 2' vomitum pasfus est et stupescere incepit. Post 5' extremitates posteriores debiliores fiebant et somnolentia apparuit. Cordis palpitationes minus frequentes erant, sed fortes et irregulares. Post 30' musculifaciei aliique erant convulsivi; pupilla non maxime dilatata; infensilitas universalis, quae per dies duravit, sed sensim inminuta fuit cum sanitate restituta (2).

Tela cellulofae applicatum opium produxit paralysin extremitatum posteriorum, pulsus accelerationem et vim auctam, convulsiones. Caput versus posteriora retrahebatur, et paullo post mortuum est animal, citius, quam si eadem quantitas ventriculo ingesta fuerat (3).

Hactenus aliorum experimenta. Sequentia successiva, diversis diebus, a nobis instituta fuerunt.

Cani mediae magnitudinis et aetatis (ut omnes sequentes fuerunt) 11^h 5 gr. 4 opii vulgaris exhibi-

(1) Cf. I. l. p. 144.

(2) Cf. I. l. p. 147.

(3) Cf. I. l. p. 145.

hibuimus, in parca panis portione (1). Hora meridiana pulsus regularis (2) et animal prorsus sanum: 1^h anxietas; respiratio accelerata et interrupta; ciborum et potuum averfio. Non diu tamen haec symptomata durabant et canis dein rursus sanus videbatur: 4^h 35' pulsus 68; appetitus nullus; aliqua paralysis extremitatum posteriorum, quamquam currere posset; stupiditas: 4^h 50' sedens interdum ruere videtur; stupiditas aucta; visus bonus; auditus non valde auctus; respiratio libera: 7^h 45' caput pendens, ceterum minus stupidus quam antea: 10^h pulsus parvus, irregularis; melioris ceterum est conditionis et cibum bene appetit. Die sequenti bene fese habet et fere sanus videbatur.

Cani alii 11^h 6' gr. 2 extracti opii aquosi dedimus: 11^h. 45' pulsus 124. Post merid. 25' sanus videbatur, pulsus 120: 3^h pulsus 96: 5^h appetitus bonus et in universum canis erat sanus; pulsus 104: 7^h 45' bene fese habuit; neque dein aliquid incommodi expertus est.

Alii cani 10^h 41' ejusdem extracti dedimus gran. 3:

11^h

(1) In his experimentis ahibuimus pondera, quae medicinalia recentiora vocantur.

(2) Pulsus canium normalem generalem ideo non addimus, quia ejus differentia inter singula individua major conspicitur, quam ut generalis norma applicari possit individuo cuidam, si in hoc pulsus non fuerit observatus. Singulis igitur singulam pulsus observationem adjecimus, in qua etiam obſervatione caute omnino agendum, quia a minimis causis aut acceleratur aut alia quacumque ratione mutatur.

11^h 44' pulsus 112; aliqua somnolentia: 27' post merid. sanus; pulsus 92: 2^h 40' pulsus 64, et bene valet: 4^h 45' pulsus parvus 68, appetitus nullus, ceterum bene sese habet: 7^h 45' aliqua somnolentia, sedet in clunibus et saepius ruit, caput pendens: pulsus 80: 9^h pulsus 70, appetitus nullus et eodem manet loco. Sequenti die sanus erat.

Alii cani 11^h ejusdem extracti gr. 4. dedimus: 11^h 30' stupidus erat, pulsus 138. Post merid. 29' pulsus 80 et sanus videbatur: 2^h caput mutans, oculi interdum clausi; somnolentia: 2^h 40' pulsus propter horripilationes non sentiendus: 5^h pulsus parvus, 102; appetitus nullus, at parum ceterum affectus videbatur: 7^h 45' pulsus 94, animal eodem semper versatur loco: 9^h 50' pulsus 72; somnolentia, caput in pectus inclinans, appetitus nullus. — Die sequenti sanitas ejus restituta.

Hora 10, 40' cani gr. 5 ejusdem extracti dedimus: 11^h 47' pulsus erat 82. Post merid. 26' sanus videtur, pulsus 96: 2^h 45' pulsus 68, parvus, ceterum sanus erat canis: 5^h appetitus bonus, pulsus 78; interdum horripilationes observantur: 7^h 50' caput pendens; sedens saepius ruit; somnolentia et stupor aliquis; paralysis incipiens extremitatum posteriorum, unde ingressus difficilis, pulsus 68: 9^h 50' appetitus nullus; pulsus 60; oculi semiclausi, somnolentia. Die sequenti appetitus nullus, aliqua paralysis extremitatum posteriorum, quae autem dein etiam sublata est et canis conditio in integrum mutata.

Alii cani gr. 6 ejusdem extracti 10^h 55' dedimus:

11^h

$11^h\ 45'$ pulsus 132, ceterum canis erat sanus: 22^o post meridiem pulsus 102: 2^h 40' pulsus 72, canis ceterum sanus: 5^h pulsus 100, bene valet. 7^h 45' paralysis incipit, plerumque decumbit et dormit; si sedet, caput pendet; pulsus 76: 9^h 50' appetitus nullus, somnolentia aucta. Die sequenti supererat aliqua paralysis, et appetitus laesio, quae autem circa vesperam abierunt.

Gravis 7 cani exhibitis, maxima pars ipso momento rejicebatur, adeo ut de hoc experimento judicare non potuerimus.

Hora 10, 35' cani dedimus gr. 8 ejusdem extracti; 11^h 45' pulsus 100: 25' post merid. sanus, pulsus 100: 3^h pulsus 96 et sanus videtur canis: 5^h pulsus, 94, appetitus nullus; nulla tamen paralysis fuit observata: 9^h ciborum appetitus, pulsus 94. Die etiam sequenti integra erat sanitatem.

II. Principium narcoticum.

Quandoquidem narcoticum principium non nisi ultimis his temporibus accuratius cognitum fuerit, experimenta multa cum eo non sunt instituta, et pauca tantum cognita fuerant de ejus effectibus in corpus humanum, si purum illi applicatur. Interdum etiam cum morphio confundebatur, unde factum est, ut utriusque actionis cognitio non nisi lente admodum progredi potuerit.

Magendie aegrotanti, morphii acetatem per tempus aliquod cum effectu hypnotico et anodynō

egregio adhibenti ad gr. $\frac{1}{4}$ de die¹, dedit gr. $\frac{1}{2}$ narcotici principii, quo agitatio maxima, cephalalgia aliaque oriebantur symptomata, vim stimulantem narcotici principii omnino probantia (1). Ex illis autem quae dein scripsit (2) patere videtur, idem principium, per se adhibitum, vim habere stupefacentem: dedit enim cani granum unum oleo solutum, quo stuporem produci dicit, facile cum somno fano confundendum. Moriebatur animal intra 24 horas.

Sertuerner, qui plura horum principiorum suo corpori applicavit, etiam principium narcoticum, ad granum $\frac{1}{2}$, alcohole solutum, assunxit, quo cunctem se effectum ac a morphio expertum fuisse testatur, sed vehementiorem (3).

De Sanctis vim stimulantem possidere dicit diffusibilem, neque somnum producere nisi, ut reliqua stimulantia, uti vinum et sp. vini, facere solent; qui tamen somnus diversus est a somno a narcotico principio producto; in hoc enim pulsus plenus, celer adest cum dolore capitis aliisque, quae in illo non observantur. Post somnum a principio narcotico productum bene valent, qui illud assumserunt,

(1) Cf. *Bulletin des sciences par la société philomathique*, Avril 1818. p. 57.

(2) Cf. *Journal de physiologie expérimentale*, Tom. I. p. 34. 1821.

(3) Cf. *Gilbert's Annalen*, Tom. 59. p. 66. 1818.

a morphio autem debiles sunt. Principium narcoticum post coenam sumptum stupefacit et pulsus inminuit (1).

Cani unius anni dedit Sertuerne gr. 2 principii narcotici, acido acetico soluti, quo inquietudinem produci observavit. Post $\frac{1}{2}$ horae novam quantitatem gr. 4 eidem cani dedit. Inquietudo primum augebatur, dein stupor apparuit; excretio alvi involuntaria, convulsiones vehementes, et palpitationes cordis observabantur. Varia dein illi dedit ad medelam instituendam; nihil amplius igitur ex hoc experimento concludere possumus. Concludivt autem Sertuerne per se adhibitum nihil efficere, quia aqua insolubile est, et opii effectibus nihil addere, quia tantum 0,02 ponderis opii constituit (2).

Si cum acido quodam jungitur actione camphoram adaequare Magendie statuit, sed animalia tunc longe majorem ferre posunt dosin, ita ut ad grana 24 adhibitum nondum mortem inferret (3).

Dedimus nos principii narcotici gr. 2 in unc. $\frac{1}{2}$ alcoholis 27° soluta, hora 11^h 24' cani. Ipso momento hic tenano afficitur et clamores vehementes edit, ruit et omnes musculi flacci apparent: 11^h 26' spasmi extremitatum anteriorum et oris muscularum adsunt

ve-

(1) Cf. *Annales Britanniques*, Tom. I. p. 459. seq.

(2) Cf. Gilbert l. 1.

(3) Cf. *Journal de Physiologie*, Tom. p. 34.

vehementes; solutio alvi involuntaria: 11^h 30' tetanus, qui per momentum absuerat, redit; oculi insensiles, convulsiones totius corporis adsunt, spuma ex ore fluit: 11^h 35' convulsiones perstant et caput magna celeritate quaqua versum movetur: 11^h 40' musculi laxi erant; pulsus non sentiendus: 11^h 50' convulsiones perstant: 11^h 55' insensilitas observabatur completa, quando acus in varias corporis partes intrudebatur: 30' post merid. immiuuntur convulsiones et in dorso decumbit canis: 1^h 15' convulsiones denuo apparent, in primis muscularum colli. Cum impetu fese erigit et aliquantum currit, sed cadit rursus et clamores magnos edit: 2^h 35' pulsus celerrimus, non numerandus; convulsiones non apparent; oculi clausi sunt et immobilis jacet: 2^h 40' tentat saepius fese erigere, tamen hoc nequit, jactitat et clamat. Spasmi extremitatum anteriorum adsunt; pulsus non sentiendus; respiratio admodum lenta et profunda: 3^h moritur sub vehementibus convulsionibus. Cadaver die sequenti percutatum flaccidum erat; cerebrum sanguine venoso turgidum; cor valde inflammatum; pulmones maculis lividis obsiti; ventriculus et tractus intestinalis inflammati.

Alli cani 4' post meridiem dedimus gr. 6 principii narcotici, soluti dr. 12 alcoholis 12°. Concidebat ipso post assumptionem momento: 5' convulsiones et spasmi; respiratio sonora, lenta; pulsus intermittens: 10' spasmi muscularum colli, quibus caput versus dorsum

sum retrahitur; extremitatum anteriorum motus va-
 rii; inquietudo maxima: 12' mictus involuntarius;
 bene autem rerum ambientium conscius videtur:
 14' jactitatio maxima: 16' currit, sed cum magna
 difficultate: 17' decumbit; respiratio facilior: 19' ite-
 rum currit: 23' oculi aperti, pupillae non muta-
 tae, et visus bonus esse videtur; inquietudo per-
 flat: 26' pulsus irregularis, 95, parvas; cum ve-
 hementia sese movet: 30' decumbit: 37' multum
 spumac ex ore fluit: 40' rursus sine ullo ordine
 quaquaversum currit: 50' sedet in clunibus; co-
 pia spumae ex ore fluentis augetur: 1^h oculi inter-
 dum clausi; decumbit et dormit tanquam si sanus
 eset: 1^h 5' nausea observatur et 1^h 7' vomitus mate-
 riae mucosae: 1^h 25' pulsus valde irregularis, 10 - 12
 pulsationibus regularibus, insequentibus variis ir-
 regularibus; status soporosus; spuma sanguinolenta ex
 naribus et ore fluit: 3^h 15' somnus incipit et du-
 rat usque ad 4^h; sese tunc erigit, sed cito denuo
 eadit: 4^h 30' moritur sine symptomatibus memora-
 bilibus. Cadavere aperto, pulmones lividissimi ap-
 parebant; atrium cordis pulmonale sanguine non
 valde plenum erat; ventriculus intus inflamatus, et
 variis locis venae sanguine turgidae maculas gan-
 graenosas mentiebantur; duodenum et reliqua etiam
 intestina erant inflammata; cerebrum sanguine tur-
 gidum, imprimis autem duram meninges sanguis
 infiltraverat.

Postquam haec instituta jam fuerant experimenta,
 ea legimus, quae Orfila de alcoholis actione in ca-
 ne

nes scripserat (1). Igitur etiam cum eo instituimus sequentia experimenta.

Cani $11^h 35'$ dedimus unc. dimidiām alcoholis 27° . Statim decumbit et stupidus est, quasi dormiat; nullae convulsiones: $11^h 40'$ pulsus 82 : $11^h 45'$ currit, sed vacillat: $11^h 50'$ melius currit: $30'$ post merid. stupiditas multum imminuta est et melius se habet ut et sequentibus horis, moritur autem nocte sequenti. Cerebrum aliquomodo sanguine infiltratum erat; minus autem quam in prioribus. Ventriculi curvatura major etiam aliquomodo inflamata. Ceterum nihil amplius apparuit.

Alii cani $11^h 12'$ eandem alcoholis quantitatē dedimus. Statim ruit et clamores edit: $11^h 17'$ multum materiae liquidae ex ore fluit; in dorso jacet; respiratio profunda; insensilitas: $11^h 40'$ pulsus 110 , regularis; respiratio sana; bene currere potest et melioris conditionis est: $30'$ post merid. pulsus celer fere non sentiendus; respiratio accelerata: $1^h 30'$ pulsus 138 et anxius est: $2^h 10'$ effluxus materiae sanguinolentae ex ore: $2^h 30'$ moritur sine vellementibus symptomatibus. Cadavere examinato, cerebrum sanguine turgebat; cor, ventriculus et intestina aliquomodo erant inflammati; pulmones maculis lividis obsuti.

Alii cani dr. 9. alcoholis 27° $1^h 17'$ dedimus: $1^h 39'$ pulsus paululum acceleratus, animal ceterum fa-

(1) Cf. *Annales de Chimie et de Phys.* Tom. 5. p. 290. et *Toxicol. gén.* Tom. 2. p. 275.

fanum: 1^h 45' interdum decumbit, interdum regulariter currit: 1^h 55' pulsus paullo naturali durior. Ceterum integer mansit et nihil mali expertus est.

Alii tandem cani dr. 15 alcoholis 27° dedimus 34' post merid.: 1^h effluxus aliquis materiae mucosae ex ore, sed nihil amplius expertus est.

Ex allatis his igitur patet, experimenta, cum solutione principii narcotici in alcohole instituta, non magni pretii habenda esse. Alia igitur instituimus.

Cani mixturam, frigide paratam, ex gr. 2 principii narcotici cum dr. 2 olei olivarum, 10^h 50' dedimus: 11^h 5' pulsus erat celer, frequens, intermittens, fortis, 98: 11^h 30' fanus videbatur canis, nisi pulsus mutatio adeset: 11^h 50' iterum gr. 4 principii narcotici in dr. 3 olei olivarum ei exhibuimus. Meridie pulsus 120', minus irregularis; animal ceterum sanum: 30' post merid. pulsus 124. Appetitus bonus: 1^h 10' pulsus non amplius intermittens, sed tamen celer: 2^h pulsus 114; integer mansit canis, nisi quod die sequenti stupiditas adeset, dein etiam sublata.

Cogitantes oleo olivarum, cum principio narcotico cocto, effectum hujus forte auctum iri, coximus gr. 4 principii narcotici in unc. dimidia olei olivarum, quod decoctum 11^h 25' cani dedimus: 11^h 35' vomitus liquidi mucosi: 11^h 45' pulsus 84. Meridie pulsus 90, ceterum fanus erat canis, neque aliquid mali dein expertus est.

Alii cani principii narcotici gr. 2 in pulvere sine ulla miscela 11^h 7' dedimus: 10' post merid. pulsus 112,

ce-

ceterum sanum erat animal: 1^h sanum: 2^h 25' pulsus 124: 2^h 35' vomitus materiae aquosae, et magis activus est quam antea: 3^h vomitus: 3^h 30' quasi fatigatus plerumque decumbit: 4^h 5' pulsus 140; vomitus interdum observatur: 6^h vomitum saepius experitur. 7^h pulsus 128; vomitus perstat: 10^h pulsus 126. Die sequenti appetitus nulus et plerumque somno traditus erat canis. Sequenti autem die prorsus sanus. Hora 10, 55' cani dedimus gr. 6 principii narcotici in pulvere. Hora meridiana sanus. Pulsus, qui ante experimentum 90 erat, nunc 120: 3^h 30' bene vallet et vividus est, saepe sese movet et agilitatis plura indicia exhibit. Die sequenti per omne tempus torpide decumbit, et horripilationes vehementes observantur. Sequenti autem die appetitus restitutus est et universe sanus appareat.

Ut pateret, num acida principii narcotici actionem mutent, cani, hebdomadum 8, gr. 1 dedimus, folatum in parca acidi sulphurici diluti quantitate 11^h 25': 11^h 26' vomitus materiae liquidae: 11^h 40' anxietas et tremulus totius corporis motus: 11^h 45' nausea, quae sere perstat ad 30' post merid. Sensim autem ab hoc inde tempore ejus conditio in meliorem rediit et sanitas prorsus restituebatur.

Vulgaris, ut reliqui, magnitudinis cani 7' post merid. gr. 2 principii narcotici, acido sulphurico foluti, dedimus: 1^h 20' vomitus materiae mucosae: 2^h 30' pulsus 166, agilis: 4^h 5' pulsus 128; appetitus bonus: 7^h pulsus 132; sanus mansit canis.

Post merid. 3' alii gr. 3 principii narcotici, acido sul-

phu-

þurico soluti dedimus. 1^h horripilationes et concussiones vehementes: 2^h 30' pulsus 108: 4^h nihil obser-
vatu dignum ei accidit: 6^h 30' pulsus 96, melioris
conditionis lubenter edit et nihil morbosí amplius
in illo apparuit.

Alii cani gr., 6 soluta in dr. 2^z acidi sulph. dil., 11^h 45'
dedimus: 11^h 50' vomitus materiae mucosae: 11^h 55'
salivatio vehemens; pulsus 128, tremulus: 15' post
meridiem convulsiones: 30' pulsus 148: 40' inmobilis
stat, pedibus rigidiusculis; oculi interdum sunt clau-
si: 50' nausea perstat; salivatio sistitur: 1^h 5' de-
cumbit: 1^h 14' pulsus 108, fortis, regularis: 1^h 20'
fese erigit et inmobilis capite paululum elevato stat:
1^h 30' decumbit; pupilla contractilis, non dilatata:
1^h 35' dormit: 2^h 15' respiratio spasmodica; oculi
nunc clausi, nunc aperti: 2^h 35' spasmī vehementes,
in primis muscularum pectoris: 3^h pulsus 140, spas-
mi desinunt; denuo inmobilis stat: 3^h 15' decumbit;
respiratio spasmodica; oculi clausi: 3^h 56' respi-
ratio magis sonora, celerior et spasmodica: 4^h nau-
sea: 5^h pulsus 114, parvus; respiratio stertorosa;
nausea perstat: 6^h 5' vomitus materiae mucosae: 6^h 30'
vomitus; decumbit respiratione adhuc stertorosa:
8^h portionem carnis prope eum jacentem avide con-
sumit: 8^h 30' vomitus materiae mucosae: 10^h vomi-
tum interdum experitur; pulsus parvus. Die se-
quenti, 5^h 30' tempore matutino, saepius vomit;
per omnem diem vomitum patitur et plerumque
dormit; ceterum bene currere potest. Die sequen-
ti vomitus saepius de die observatur; semper de-

cumbit; pulsus fortis regularis. Sequenti die vomitus continuus fere; spasmi vehementes; respiratio difficultis; pulsus fere 80 per omnem diem: 4^h 15^m post meridiem moritur sub vehementibus convulsionebus. Cadavere inspecto, cerebrum sanguine repletum apparuit; ventriculus et initium intestinorum tenuium valde inflammata; pulmones maculis lividis obsiti; cor maxime inflammatum et atrium imprimitum pulmonale sanguine repletum.

III. *Morphium.*

Sertuerner, cuius opera in re opia maxima merentur attentionem, suo corpori morphium etiam applicavit. Assumserunt itaque ipse et tres juvenes primo singuli granum dimidium, parva alcoholis diluti quantitate solutum. Sequebatur rubor universalis cutis. Post dimidium horae insuper assumserunt granum dimidium, quo nausea oriebantur et vertigines. Elapso quadrante horae denique ingererunt granum dimidium. Nunc dolor vehemens in ventriculo observabatur, sensusque debilitatis. Ipse Sertuerner decumbens somnum contraxit, somniis perturbatum: variis corporis locis palpitationes sentiit. Singuli nunc unc. 3 aceti assumebant, unde statim emesis orta est. In uno, qui constitutionis erat sensilioris, hyporemesis aderat. Huic carbonatet magnesiae dedit. Diebus sequentibus apepsia, constipatione alvi, dolore.

loribus capitis et ventriculi laborarunt, sensim autem inminutis (1).

Eidem cani unius et dimidii anni dedit gr. 6 morphii, alcoholo soluti. Primum inquietudo observabatur. Post dimidiā horam somnolentia, tum vix pedibus stare poterat, sed vacillabat. Post haec vomitus cum remissione symptomatum. Hora elapsa iterum 6 gr. eidem dedit, sed haec vomitu cito rejiciebantur. Porro 3 gr. cum mucilagine gummi ei dedit, verum etiam haec rejecta sunt. Somnolentia, quanquam omnia rejecisse videretur, perstat. Post aliquot horas convulsiones in facie et lumbis tremerque totius corporis apparent, quae ad 6^{am} horam perdurabant. Somnolentia persistabat et non nisi post dies reconvaluit (2).

Orfila 5 grana morphii cani dedit ventriculo pleno. Post 10' rejecit alimenta, et ceterum nihil expertus est (3).

Alia vice 12 gr. morphii cani dedit, ventriculo vacuo, sine ullo effectu, dum eadem quantitas extracti opii aquosi post 20' paralysin artuum posteriorum produxerit (4).

Applicavit 6 gr. morphii sub cute canis: 8' post in-

(1) Cf. Gilbert's *Annalen*, Tom. 55. p. 68 et *Annales de Chimie et de Physiq.* Tom. 5. p. 27.

(2) Cf. Trommsdorff *Journal der Pharmacie*, Tom. 14. part. I. p. 71.

(3) Cf. *Toxicol. gén.* Tom. 2. p. 167. Meckel's *Archiv für die Physiologie*, Tom. 4. p. 469. A°. 1818.

(4) Cf. l. l.

applicationem vomitus et stupiditas apparuit, ceterum vix aliquid mali expertus est (1).

Ridolfi diversitatem actionis morphii pro diversis animalibus experimentis illustravit. Pulli galinacei a tribus granae, alcohole solutis, nihil sunt experti. Feles quinque grana ferre posunt, et canes omnium maximam dosin requirunt, ut necentur (2).

Orfila etiam morphii gr. 6 socta cum unc. 1 olei olivarum cani dedit. Paralysis extremitatum posteriorum sequebatur, somnolentia et vertigines (3).

12 gr. morphii, oleo soluta et a cane assumta, illum statim necasse videbantur; non autem nisi die sequenti mortuus est. In cadavere vix nisi pulmonium maculae lividae apparuerunt.

Eadem effecta sed vehementiora sunt orta a 12 gr. morphii, oleo solutis, et sub acute injectis (4).

Grape grana 2 morphii, oleo soluta, cani dedit effectibus vehementibus, ita quidem ut, licet vomitu rejecta sit maxima pars, tamen paralysis extremitatum posteriorum observaretur (5). — Statuit 10 gr. morphii oleo soluti actione adaequare 10 gr. extracti opii aquosi (6).

Ut comparari posset actio morphii, alcohole soluti,

cum

(1) Cf. l. l.

(2) a Grape diss. laud. citatur locus Diarii Brugnatelli, literae a Ridolfi insertae A°. 1817.

(3) Cf. Toxic. général. Tom. 2. p. 173.

(4) Cf. l. l. p. 174.

(5) Cf. Diss. laud. p. 66.

(6) Cf. Diss. laud. p. 72.

cum solutionis principii narcotici actione, 1^h 3' post merid. cani dedimus gr. 12 morphii, soluta dr. 9 alcoh. 27°. Statim post assumptionem vacillare incepit et celeriter, ast per momentum, sese movere: 1^h 5' pedibus amplius stare nequit, sed decumbit; respiratio sonora, difficilis; oculi fixi; pupillae contractae; pulsus non sentiens; in musculi flaccidi: 1^h 10' pulsus irregularis, et parum sensibilis est canis; respiratio stertorosa: 1^h 38' pulsus durissimus, ictibus tribus regularibus, in sequentibus duobus irregularibus; lingua ex ore pendens; oculi clausi; extremitates flexiles; respiratio eadem: 1^h 50' ad cauterium actuale, pedibus applicatum, parum sensibilis est, et ab acu, variis corporis locis intrusa, nihil sentit; spuma ori et naribus inhaeret; adspectus prorsus similis aegri, decubantis paroxysmo apoplectico: 3^h 40' bene audiebat; caput et extremitates bene movebat: 4^h 15' in somnum incidit profundum; pulsus magis regularis: 4^h 40' respiratio liberior et profunda; insensilitas perstat; oculi languidi; pupilla contractilis; stridor dentium; extremitates posteriores rigidae, anteriores flaccidae, sed rigidiiores quam antea: 7^h eadem conditio; decumbit dorso: 7^h 30', suo nomine auditio, caput elevat. 10^h per cubiculum currit; pulsus minus fortis et magis regularis: 11^h 30' diēi sequentis pulsus 96, irregularis, intermittens; status prorsus conatus; respiratio difficillima; spuma ori insidet; muscularum vis fracta est et canis moriens videbatur. Mortuus est 4^h post merid. Cadavere ejus aperto pulmones, in primis dexter, variis maculis lividis tecti; ventriculus

cordis pulmonalis sanguine repletus; stomachus et intestina sana; cerebrum naturale, neque sanguine iuficatum.

Olei olivarum dr. 3, mixta granis 12 morphii 10^h 54' cani dedimus: 11^h pulsus parvus, celer, 126, irregularis: 11^h 15' tremor extremitatum posteriorum, anteriorum et pectoris; musculorum contractiones spasmoidicae: 11^h 20' oculi clausi; somnolentia: 11^h 25' ciborum aversio: 11^h 30' pulsus vix sentiendus. Hora meridiana rejectio per superiore materiae albae liquidae; pulsus 112; stupiditas; horripilationes universi corporis: 10' post merid. vomitus materiae similis priori: 15' stridor dentium: 25' vis muscularum extremitatum posteriorum inminuitur; sopor augetur; vacillat ingrediens: 30' pulsus intra quintum ictum intermittens; pupillae maxime dilatatae, parum sensiles: 1^h 30' pupillae mobiliores: 1^h 40' somnolentia paululum inminuta: 2^h 30' vomitus materiae aquosae: 2^h 50' multum salivae ex ore fluit; caput in pectus inclinatum: 4^h somnus profundus: 7^h fese erigit, tamen cum difficultate, propter paralysin extremitatum posteriorum: 8^h oculi fixi; plerumque decumbit. Diei sequentis 11^h 45' pulsus parvus, irregularis, 104; appetitus deles-
tus, et canis prorsus aegrotus, stupidus: 3^h post meridiem cibum et potum assumit et ejus conditio sensim in meliorem mutatur, ita ut sequenti die integer apparuerit.

Putantes oleum, cum morphio coctum, hujus effectus mutare posse, coximus gr. 6 morphii in olei olivarum unc. dimidia, quo nigrescentem materiam

ad-

adhue siquidam acquisivimus, certe e morphii decompositione explicandam. Hanc $11^h 20'$ cani dedimus: 4^h post meridiem nullum symptomata memorabile observabatur, nisi quod pulsus sit 72; extremitates posteriores fanae; spasmi nulli, sed appetitus deletus, caeterum autem parum affectum animal: 8^h paralysis extremitatum posteriorum aliqua. Decumbit semper eodem loco et aliquomodo somnolentus videtur; pulsus 70. Die sequenti paralysis multum imminuta; appetitus nullus. Sequenti die ejus sanitas restituta est.

Morphii, in pulverem redacti, gr. 6 cani dedimus $11^h 26'$: $17'$ post merid. pulsus 100; horripilationes interdum observantur: $2^h 25'$ pulsus 98. Quandoquidem animal hoc tempore catulos habebat, eosque semper petebat, agilis ab hac causa erat, atque clamores semper fere edebat, ut illos adiret: $4^h 30'$ pulsus 92, ceterum in eadem, sed paullo minori, agitatione: 6^h stupiditas, quanquam causa externa modo indicata adsit, incipit; sedens saepius ruit: 7^h spasmi vehementes et hinc pulsus non sentiendus; somnolentia perstat. Die sequenti appetitus nullus, nisi ad vesperam, qua ejus sanitas profus erat restituta.

Alii cani dedimus gr. 12 pulveris morphii, $10^h 52'$: $11^h 30'$ stupidus fieri incipit. Meridie trepidus totius corporis motus: $14'$ post merid. pulsus 96; somnolentia; ruit saepius sedens: $30'$ somnus profundus: 1^h horripilationes augentur; somnus perstat: $2^h 30'$ pulsus 80: 4^h pulsus parvus non

fentiendus; semper decumbit; 7^{h} pulsus 60; oculis clausis semper dormit; 10^{h} appetitus nullus; pulsus non fentiendus; paraly sis extremitatum posteriorum. Die sequenti pulsus plerumque 60; saepius dormit; appetitus nullus; paraly sis perstat. Sequenti die non prorsus integer, sed multo melioris conditionis est, ita ut sensim sanitas ejus fuerit restituta,

IV. Acidum meconicum.

Sertuerner, qui variam sustinuit, diversis temporibus, de acidi meconici actione sententiam, ipse adhibuit gr. 5 hujus acidi sine ullo effectu (1).

Cum basibus salificabilibus mixtum alvum promovet (2). Alio autem loco ipse illud non innocuum habet (3). Asumferat meconatem sodae, et statim coactus fuerat assumere aliquid acidi nitrici, ad neutram reddendam actionem acidi meconici. Per dies autem dolore faucium laboraverat. Alii, qui etiam hoc assumenterant inde asthmatici fuerunt, et oppressionem pectoris experti sunt.

Cani juniori 3 grana hujus meconatis sodae dedit. Vomitus sequebatur et paraly sis extremitatum, praecipue posteriorum; respiratio erat profunda; anxie quaquaversum currebat, clamores edebat et or-

(1) Cf. Gilbert's *Annalen* Tom 55. p. 74. *Annales de Chimie et de Phys.* Tom 5. p. 32.

(2) Cf. Gilbert's *Annalen* Tom 59. p. 56. in nota.

(3) Cf. Gilbert's *Annalen* Tom. 57. p. 184.

gana pectoris omnino videbantur affecta. Mortuus tamen non est.

Paullo seniori cani dedit gr. 1 meconatis barytae. Etiam is valde agitatus erat, et dein solutionem alvi largiorem habuit.

Lange purum acidum meconicum ad gr. 3 sine ullo effectu assumpsit (1).

Vogel et Soemmering sine ullo effectu acidum meconicum cani dederunt (2). Idem gr. 10 meconatis sodae sine aliquo insequente symptome cani exhibuerunt (3).

Grae grana 3 et ejus amicus Loewer gr. 13 acidi puri assumserunt sine effectu. Alia vice gr. 12 jejunus assumpsit Loewer et, praeter alvi tres depositiones, nihil expertus est.

Meconatem sodae dederunt ad scrupulos 2 $\frac{1}{2}$ feminae taenia laboranti. Post paucas horas sentiebat congestionem sanguinis versus caput et anxia evasit. Ceterum nihil experta est, nisi alvum liquidam esse factam (4).

Grana 20 acidi meconici et gr. 6 meconatis sodae canibus dedimus, neque aliquem effectum observavimus.

V.

(1) Cf. Gilbert's *Annalen* Tom 59. p. 57. in nota.

(2) Cf. Schweigger's *Journal für Chemie und Physik* Tom 23. p. 34—36.

(3) Cf. I. I. p. 37.

(4) Cf. Diss. cit. p. 73.

V. *Aqua destillata opii, aliaque ejus praeparata.*

In indicandis aquae destillatae opii viribus, omnino etiam sententiarum invenimus varietatem.

Trailles perhibet, aquam opii nobilissima vi gaudere anodyna (1). Krüger statuit, viribus vehementibus gaudere, ita quidem, ut guttulae quaedam in cubiculo servatae, quo homines debiles continebantur, his jam nocerent (2). Ludicke contendit, aliquam vim habere debere, quia opii, diu in aere aperto servati, aut cocti, vires inminuntur (3). Atque Offilia dicit majori dosi vertigines, somnum et mortem produxisse (4).

Alii vero aliter. Bucholz v. c. (5), Sertuerter (6), Amestin, alii nullum effectum ab illa observarunt.

Etiam nos aquam opii ad uncias duas cani dedimus sine ullo effectu.

Materiem opii balsamicam dictam putarunt vim omnino exercituram in corpus animale, quia odore tam gravi conspicua est. Sertuerter autem

il-

(1) Cf. l. l. Tom 1. p. 159.

(2) Cf. Hufeland *Journal der praktischen Heilkunde* April 1818. p. 125.

(3) Cf. Schweigger's *Journal* Tom 17. 1816.

(4) Cf. *Journal de Pharmacie* Tom 9. p. 557. 1821.

(5) Cf. Trommsdorff *Journ. der Pharm.* Tom 8. part. 1. p. 31. 1800.

(6) Cf. libri ejusd. Tom 14. p. 85. 1805.

illam ad grana 20 et hominibus et canibus dedit sine ullo effectu (1).

Dedimus etiam hanc materiam balsamicam ad gr. 15; nihil tamen observatu dignum cani accidit.

Materiem extractivam et extractum opii aquosum, a morphio, principio narcotico et acido meconico liberatum, Sertuerne et Orfila sine effectu canibus dederunt (2). Si autem aliquis post ejus assumptionem observetur effectus, erit ille ab adhaerente morphio vel principio narcotico.

Residuum opii, aquâ insolubile, ad drachmam cani dedimus sine effectu sensibili.

Gluten a Sertuerne vocatum, et paratum residuo opii, in aquâ et alchoole insolubili, acido sulfurico solvendo, dein carbonate sodae praeципitando, canibus datum etiam nihil effecit (3).

Resinam ex opio acquisitam etiam nullum effectum edere vidit Sertuerne (4).

VI.

(1) Cf. Trommsdorff *Journ.* Tom 14. part 1. p. 83. Gilbert's *Annalen* Tom 55. p. 79. Tom 59. p. 60.

(2) Cf. Trommsdorff. *Journ.* Tom 14 part. I. p. 79, 86. *Annales de Chimie et de Physiq.* Tom 5. p. 289. Meckel's *Archiv* Tom 4. p. 474. *Toxicol. générale* Tom 2. p. 176.

(3) Cf. Trommsdorff. *Jour.* Tom 14. part. II. p. 86.

(4) Cf. *Diarium idem* Tom 14. [part. I. p. 84.]

VI. *Morphium cum principio narcotico.*

Magendie mixturam morphii et narcotici principii, non autem puram, corpori animali applicavit. Hunc in finem horum in acido acetico solutionem in pleuram introduxit canis. Observabantur effectus oppositi, stimulantes et stupefacentes, et post aliquod tempus ultimi praedominare videbantur, atque somno profundiori tradebatur animal (1).

Dedimus etiam nos cani eidem, qui antea alcohol assumerat (pag. 63.) fine ullo effectu notabili, gr. 1 narcotici principii et gr. 3 morphii, soluta in dr. 12 alcoh. 25°, 11^h 54'. Ipso momento sonum edere incipit singularem, currit inordinatim per cubiculum et cadit: 11^h 58' oculis semiclausis decumbit; pulsus non sentiendus; respiratio lenta. Meridie spasmi muscularum extremitatum anteriorum; pulsus 90: 5' post merid. oculi fixi: 7' pulsus irregularis, durus, 42: 15' spasmi muscularum faciei et colli: 40' omnes musculi flaccidi; pulsus non sentiendus; pupillae contractae immobiles; spasmi perstant omnium fere muscularum; 1^h 30' pulsus 60: 3^h insensilitas magna; respiratio sonora; oculi ad objecta mobiles: 4^h caput elevat et currere tentat, attamen impotens est; pulsus 60, intermittens, duriusculus; respiratio profunda; spasmi perstant; insensilitas ad acum et cauterium actu-

(1) Cf. *Journal de Physiologie expérimentale* Tom 1.
p. 35. 1821.

trale: 7^h 30' liquor aquosus ex ore fluit; interdum caput elevat et circumspicit: 7^h 40' materiae sanguinolentae fluxus ex ore; pulsus maxime intermittens, nunc durissimus, nunc mollissimus: 10' ingressus est difficillimus; visus et auditus boni. Die sequenti plerumque decumbit; appetitus nullus: 10^h pulsus 93: 2^h post meridiem pulsus 94: 8^h pulsus 76; ingressus aliquomodo impeditus. Die sequenti melioris conditionis et circa meridiem prima vice cibum assumit. Sensim ejus conditio integrum fuit restituta.

Mixturam gr. 1 narcotici principii et gr. 3 morphii in pulvere 10^h 57' cani dedimus: 11^h 7' vormitus largus: 11^h 35' salivatio vehemens: 11^h 37' aliquis stupor. Meridie vomitus; fedens saepius ruit: 15' p. m. pulsus 80: 1^h decumbit, plerumque somnolentus: 2^h 25' pulsus 66: 4^h 5' pulsus 60, plerumque dormit: 7^h pulsus 80, melioris certum conditionis, appetitus bonus et interdum bene currit: 10^h pulsus 78 et bene sefe habet. Sequenti die bene cibum assumit et nihil mali amplius ei accidit.

Alii cani 10^h 57' dedimus mixturam gr. 2 principii narcotici et gr. 6 morphii in pulvere: 11^h 35' somnolentia aliqua: 10' post merid. pulsus 108; stupiditas augetur: 1^h somnolentia: 2^h 30' pulsus 108; salivatio notabilis: 4^h 30' pulsus 98; salivatio fistitur; oculi clausi, et plerumque dormit: 7^h pulsus 86, salivatio interdum observatur; appetitus nullus; activitas multum inminuta: 10^h pulsus 108; paralysis

extremitatum posteriorum. Die sequenti paralysia perstat; pulsus plerumque 80; appetitus nullus. Sequenti die sanus.

VII. *Salia morphii.*

Acetas morphii. Primo de hoc sale mentio in-
jicienda est, quia effectus acetatis morphii in cor-
pus humanum paululum declarat notissimum illud ve-
nescium, quod A. 1823 Parisis a medico E du ar-
do Samuele Castaing factum fuisse est judica-
tum, quod igitur breviter tantum, quo ad nostrum
scopum exponemus (1).

A. Ballet, amicus doctissimi Castaing, cum
quo iter instituebat, post assumptum vinum cali-
dum, saporis amari nauseosi, minus bene sese habe-
bat et dolores colicos patiebatur tempore vesper-
tino. Sequenti mane, ejus conditione non emenda-
ta, lactis quantitatem asfamisit, insequente post dimi-
diam horam vomitu et alvi dejectione frequenti.
Ingesit aetheris eujusdam guttulas aliquot cum fac-
charo, quo facto vomitus cessabat.

Pulsus parvus erat, contractus; dolores circa um-
bilicum; loco congruae institutae medicationis, aeger
aquaui saccharatain assumfit. Tempore vespertino

(1) Cf. *Diaria gallica mensis Novemb. 1823 et Zeitschrift für die Staatsärzneikunde von Adolph Henke*, Tom 6. p. 473. 1823 et *Zweites Ergänzungsheft*, 1824.

fudor; pulsus liber et frequens; symptomata nervosa; conscientia sui sensim inminiebatur, caput pectori incumbebat; respiratio difficilis; facies coerulescens, os muco plenum, fudor viscidus; extremitatum frigus; pulsus parvus et symptomata nervosa. Applicabantur 20 hirudines regioni epigastricae et vena secabatur, quo inminuebantur symptomata, sed post 2 horas renovabantur. Sequenti mane corpus universum coeruleum et calidum; respiratio rara et stertorosa; pulsus vix sentiendus; sensilitas ad aquam calidam, pedibus applicatam; pupilla valde contracta. Iterum instituebatur venae sectio, qua aliquot tantum guttulae sanguinis nigri prodierunt. Post meridiem hora prima moriebatur sine vehementibus symptomatibus. Sectione cadaveris sequentia patuere: cutis colore coeruleo tincta; spuma nari dextrae inhaeret, et materies fusca liquida ex naribus fluebat, dum pectus premeretur. Ventriculi ad curvaturam majorem intima tunica rubra: variis locis in eo puncta nigra et emphysema tunicae mucosae observabantur. Intestina tenuia sanguine erant infiltrata; vasorum venosorum lumen auctum. In thoracis utraque parte liquidum seroso-sanguineum ad uncias aliquot iuveniebatur. Ventriculus cordis dexter sanguine nigro repletus. Cerebrum magis compactum ac naturale, in ventriculis lateralibus et tertio liquidum serosum aderat; arachnoidea sanguine infiltrata et sinus durae meningis sanguine turgidi.

Sertuerner dicit, se ab acetate morphii eosdem

ef.

effectus sed vehementiores observasse, atque a morphi in alcohol solutione (1), et semper cephalagiam contraxit post ejus adhibitionem (2).

Orfila acetatem morphii ad gr. 6 cani dedit cum insequente paralysi extremitatum posteriorum et somnolentia. Eadem quantitas effectus graviores produxit in cane debiliiori (3). Grana 6, sub cute introducta, produxerunt statum soporosum, musculorum relaxationem, paralysin extremitatum posteriorum, convulsiones, pupillae dilatationem. Sensilitas aucta erat, ita quidem ut aëris levissimum motum percipere potuerit. Post duos dies sanus iterum erat. In eodem experimento repetito stupor ita erat excedens, ut animal mortuum videretur (4).

Grae grana duo acetatis morphii in rectum intestinum canis injecit. Post parvum temporis spatium vomitum patiebatur, atque extremitatum posteriorum paralysis observabatur, cum horripilationibus universalibus. Die sequenti animal nondum est sanum (5).

Cani etiam nos acetatem morphii dedimus ad gr. 6, 11^h 11', aqua solutum: 11^h 23' fedet et ruere saepius videtur; somnolentia incipit; pupilla dilata quidem, sed contractilis: 11^h 30' salivae ex ore fluxus.

(1) Cf. Trommsdorff. *Journ.* Tom. 14. part. I. p. 77.

(2) Cf. Gilbert's *Annalen* Tom. 55. p. 66.

(3) Cf. *Toxicol. génér.* Tom. 2. p. 168.

(4) Cf. l. l. p. 169.

(5) Cf. *Diss. laud.* p. 70.

fluxus: 11^h 45' decumbit; extrematum posteriorum motus tremuli: 11^h 50' lingua ex ore pendens: 11^h 55' pulsus 104. Meridie paralyticus incipiens extrematum posteriorum: 5' p. m. currit per cubiculum, attamen cum difficultate: 30' somnus, oculis semiclausis: 3^h salivatio definit; eadem conditio; 6^h pulsus parvus, vix sentiendus: 7^h currit rursus, ast disculter. Ceterum hac vespera plerumque somno obrutus fuit. Die sequenti sedet in clunibus, capite pendente, oculis nunc clausis, nunc apertis. E somno saepius uno momento exsurgit, quasi aliquid metuens: 2^h post merid. appetitus nullus; pulsus parvus; extremitates posteriores adhuc paralytiae. Non nisi post 3 dies sanitas ejus erat restituta.

Fusius autem nuperrime Deguise, Dupuy et Leuret (1) hoc sal animalibus exhibuerunt, quorum experimentorum eventus hic redeunt.

Canes, quos plerumque adhibuerunt, citius aut tardius post assumptum hoc sal afficiuntur horripilationibus et spasmis, paralyse pupillae in initio, quae autem postea contractilis evadit, plerumque tamen dilatata; dilatatae tantum in initio in cane qui 100 grana assumferat (2). Neque hoc symptoma constans est (3). Spuma ex ore fluit, quae interdum vestigia acetatis morphii dedit (4). Vomitus saepius observatur; ante vomitum agitata

pau-

(1) *Recherches et expériences sur les effets de l'acette de morphine.* Parisiis 1824.

(2) Cf. p. 14. (3) p. 33. (4) p. 33.

paululum sunt animalia, postea autem iis levamen afferit. In materia rejecta invenerunt manifesta morphii indicia (1). Appetitus deletus est per aliquod tempus, si quantitas ingesta fuerit satis notabilis. Excretiones urinae et alvi involuntariae haud raro observantur. Paralytic artuum posteriorum praegrediuntur horum muscularum convulsiones; haec paralysies perstat per aliquod tempus pro dosi adhibita. Stupor et somnolentia etiam sequitur aliquo post ingestionem tempore, et pro quantitate assumpta rell. diversa est. Insensilitas ad acum et cultrum sub stupore saepius observantur, interdum tamen sensilitas augetur, uti auditus alienorumque organorum (2). Felis 10 grana assumserat et post horam, quando caput terram attingebat, subito e somno evigilabat (3). Respiratio difficilis et intermittens in initio, dein regularis, profunda evadebat. Pulsus intermitit initio, dein vero regularis, parvus et minus frequens est. Differencia conspicitur inter intensitatem ictus cordis et arteriarum, quod illi derivant ab inspissatione sanguinis (4). Felis, altera, post ingestionem 10 granorum, hora, arteria crurali aperta, nullus sanguis prodiit. Amputarunt hoc membrum, sed nullus sanguinis effluxus locum habuit, quin ex perforata carotide tantum 3 unciae sanguinis stillabant, alieno colore praediti, et statim solidescerentis. In cadavere autem nihil singulare apparuit (5). Temperatura corporis non erat sensibiliter alterata.

(1) p. 8. (2) p. 13 et 37. (3) p. 17.

(4) p. 35. (5) p. 17.

natura corporis initio interdum augetur, postea diminuitur (1). Odorem singularem materiae perspirabilis et urinae observarunt in fele, quae 5 gr. assumferat (2).

In cavitatem thoracicam et abdominalem injectus acetatis morphii vehementiora dedit symptomata, quam ingestus in ventriculum (3). Epilepsia bis observata est in canibus post applicationem veneni pleurae et peritonaeo (4). In venas injectum illud vehementia etiam symptomata produxit, sine vestigiis superstitionibus acetatis morphii. In uno status agitacionis et somnolentiae alternabant (5). Haec etiam symptomata observata sunt a morphio ipso, aquâ mixto et in venam jugularem introducto (6). Vehementiores autem effectus apparuerunt, percisso nervo crurali ejusque extremitate immisâ in solutionem acetatis morphii. Deinde etiam eandem cerebro, cerebello, et medullae spinali eodem effectu applicarunt (7).

Nec in urina, nec in sanguine invenitur acetas inmorphii ingestus (8).

Membrana ventriculi mucosa rarissime inflammata apparuit (9). Cranii et aliorum hoc contentorum organorum infiltratio effectus acetatis morphii generalis non est habendus, quia hanc nunquam fecerunt observarunt (10).

Dcs.

(1) p. 11. (2) p. 21. (3) p. 57.

(4) p. 54 et 55. (5) p. 57 et 58. (6) p. 61.

(7) p. 62-73. (8) p. 77 et 20. (9) p. 22 et 33.

(10) p. 76 et 26.

Desportes acetatem morphii gallo domesticō dedit, a minima dosi incipiendo et ad majorem sensim adscendendo. Primum 2 gr. exhibebat, singulis duobus diebus cum hujus duplo adscendebat, ita ut diebus 12 et 13 gr. 8 consumeret. Die quarto organa digestionis jam erant affecta; appetitus nullus et obstrunctiones cum stupore et symptomatis laesioris vehementis observabantur; pupillae contractiles manebant.

Diebus 14, 15 et 16, dosi sensim etiam aucta, symptomata nervosa observabantur; evolutio notabilis quantitatis gas in ingluvie, caloris corporis imminutio, somnolentia, et corporis consumptio aderant.

Diebus 17, 18, 19 et 20 gr. 24 ei dabantur loco gr. 36, quae jam adhibuerat; symptomata nervosa paullulum tunc inminuebantur.

Diebus 21-23, quo denuo 36 gr. assumebat, symptomata omnino augebantur; somnolentia vehemens; caput continuo movebat; pedibus suis se amplius sustinere nequit, et quanquam paralyticus non adesse appareret, tamen cum difficultate pedes movere poterat; aliae autem fanae. Die 26 mortuus est.

Cerebrum et cerebellum sanguine nullo modo infiltrata, contra magis quam vulgo albicantia; ventriculus etiam non inflamatus; 6 pollices priores tractus intestinalium vehementer inflammati; ceterum intestina erant fana, praeter parvam in recto sanguinis infiltrationem (1).

Sul-

(1) Cf. Froriep *Notizen aus dem Gebiete der Natur- und Heilkunde*. Decemb. 1824 p. 55.

Sulphas morphii. Grapē sulphatē morphii ad gr. 1 $\frac{1}{2}$ dedit cani juniori cum effectib⁹ vehe-mentibus. Clamabat animal, vacillabat et in somnum incidebat, sed minimo audit⁹ strepitu per territ⁹ evigilabat clamoresque edere incipiebat, cito autem rursus decubuit.

Alii juniori cani granum dimidiūn dedit, hic autem mortuus est post 4 dies. Cor sanguine va-uum erat, ventriculus non inflammatus et cere-brum a sanguine liberum (1).

Sulphatē morphii cādem vi pollere atque acetatem notavit etiam Magendie, sed mitius operari (2).

Dedimus etiam 11^h 51' gr. 6 sulphatis morphii cani: horā meridianā horripilationes: 10' post merid. somnolentia incipiens: 15' anxietas, respiratio difficultis, sed transiens: 21' pulsus 52: 30' paralysis incipiens extremitatum posteriorum; stu-piditas: 45' augetur stupiditas et paralysis: 50' spasmi variorum musculorum; anxietas: 53' vomitus materiae mucosae: 1^h 10' ciborum aversio; pulsus irregularis, intermittens, 75, parvus; de-cubitus in dorso; pupilla dilatata, immobilis: 1^h 35' somnus: 2^h 15' somnus perdurat et immobilis jacet: 2^h 45' pulsus 63: 3^h activitas paululum auc-ta: 3^h 45' decumbit denuo dormiens: 4^h 15' curre-bat, et, postquam immobilis per 10' steterat, ruebat:

5^h pul-

(1) Cf. Disf. cit. p. 67 et 68.

(2) Cf. *Bulletin des sciences*. 1818. Mensis Aprilis p. 54. *Meckel's Archiv*. Tom. 4. p. 474.

5^h pulsus 42, irregularis; sese erigit, sed rursus cadit: $5^h 15'$ currit interdum, sed cum difficultate: 8^h activitas paullo major: 10^h pulsus 52. Diei sequentis 10^h paralysis perstat; appetitus deletus: $11^h 5'$ vomitus materiae mucosae, quem saepius de die experitur. Die sequenti fere sanus erat.

Nitras morphii. Cani $11^h 47'$ dedimus gr. 6 hujus salis: $15'$ post merid. pulsus latus, regularis: $17'$ sedens saepius ruit; somnolentia; oculi clausi: $23'$ pulsus 76: $45'$ regulariter currit et bene sese habet: $50'$ somnolentia iterum apparent: $55'$ augetur sopor, et sedens haud raro cadit; 1^h ciborum aversio: $1^h 12'$ pulsus 92, regularis; paralysis incipiens extremitatum posteriorum: $1^h 35'$ dormit: $1^h 48'$ pulsus 66: $4^h 30'$ somnus hucusque manet: $4^h 35'$ vomitus materiae aquosae: 5^h pulsus 78, regularis: 10^h somnus profundus per totam vesperam; appetitus nullus; pulsus 60; paralysis extremitatum posteriorum perstat. Die sequenti 8^h matutinā vomitus largus materiae aquosae; appetitus per omnem diem nullus; paralysis perstat; semper decumbit somno traditus; horripilations saepius observantur. Sequenti adhuc die vomitum interdum patitur; appetitus nullus; paralysis emendata. Sensim autem ejus conditio integra facta est.

Hydrochloras morphii. Cani $11^h 34'$ gr. 6 hujus salis dedimus: hora meridiana pulsus 138: $50'$ post merid. sanus videtur usque ad $4^h 30'$, quā appetitus deletus apparebat et paralysis incipiens extremitatum posteriorum; 6^h caput nutans; pulsus

parvus: 10^h paralysis completa; quando sese ē somno erigit statim cadit. Sequenti die $5^h 30'$ tempore matutino ingressus difficillimus; spasmi muscularum colli et abdominis: 10^h somnus usque ad 2^h post meridiem: $2^h 15'$ pulsus 126; per omnem diem appetitus nullus. Sequenti die stupiditas superfites, ceterum sanus; haec autem die sequenti erat sublata, et integer erat canis.

Super-phosphas morphii. Dedimus $11^h 55'$ cani hujus salis gr. 6: hora meridiana vomitus largus: $25'$ pulsus 76; paralysis incipiens extremitatum posteriorum: $30'$ paralysis completa; stupiditas magna; horripilationes: $50'$ rebus externis omnino afficitur, et aliquomodo vividior est: 1^h ciborum aversio: $1^h 3'$ dormit; pulsus 74, irregularis, intermittens: $1^h 35'$ e somno evigilat et minus stupidus videtur: $2^h 40'$ pulsus 64: $4^h 15'$ currit, sed cum difficultate: 5^h pulsus 76: 7^h somnus protractus ad hoc tempus usque: $7^h 15'$ paululum magis vividus: 10^h denuo somno traditus; pulsus 64. — Die sequenti ejus sanitas prorsus restituta.

Hydriödas morphii. Cani $11^h 27'$ hujus salis dedimus gr. 6: $3^h 5'$ post merid. vomitus largus materiae mucosae: 4^h appetitus nullus; pulsus 72; extremitates posteriores fanae: $7^h 45'$ pulsus 66. Ceterum sanus manif.

Sub-carbonas morphii. Cani dedimus $11^h 30'$ gr. 6 hujus sub-carbonatis: 8' post meridiem paullo naturali stupidior: $1^h 45'$ vomitus largus materiae mucosae: 4^h paralysis incipiens extremitatum pos-

teriorum; pulsus 80, parvus: 8^h pulsus 56; decumbit semper eodem loco et plerumque dormit. Die sequenti appetitus nullus; paralyfis paululum inminuta; horripilationes per omnem diem. Die sequenti prorsus sanus.

Meconas morphii. Hujus salis 11^h 13' cani dedimus gr. 6: 25' post merid. horripilationes; pulsus 60, regularis: 2^h 15' pulsus 70; paralyfis aliqua extremitatum posteriorum; somnolentia: 4^h pulsus 64; appetitus nullus; paralyfis aucta; horripilationes et spasmi multorum muscularum; sompontentia paululum aucta: 7^h pulsus et paralyfis iidem; appetitus nullus; sequenti die paralyfis sublata; stupiditas inminuta; appetitus tamen nullus, et hora 2 post merid. prima vice cibum assunxit.

VIII. *Extractum opii aquosum sine principio narcotico.*

Post meridiem 5' cani dedimus gr. 2 extracti opii aquosi sine principio narcotico: 25' horripilationes; 35' somnolentia: 1^h pulsus 98, irregularis; spasmi variorum muscularum: 4^h pulsus 80: 6^h 15' pulsus 70; plerumque decumbit, attamen parum affectus est; die sequenti pulsus 104 et sanus.

Alli gr. 3, 17' post merid. dedimus: 40' horripilationes; spasmi; somnolentia: 58' pulsus 90; fedens interdum ruit, et valde stupidus est: 2^h pulsus 80: 4^h pulsus 100; stupiditas aucta; caput in pectus inclinans; 6^h pulsus 92; appetitus bonus:

8^h pulsus 86; interdum currit tanquam si sanus es-
set; die sequenti prorsus sanus.

Alii cani 10^h 57' gr. 4 dedimus: meridie spuma
tenax ex ore pendet; pulsus maxime irregularis:
40' pulsus 140; tremulus totius corporis motus;
salivatio maxima: 50' extremitates posteriores in-
cipiunt paralyticae fieri; somnolentiae indicia: 1^h
idem habitus ac canis, qui 12 gr. morphii, oleo so-
luta, assumferat; ciborum aversio: 1^h 15' decumbit
somnolentus; spasmi perstant: 1^h 30' pedibus se vix
sustinere potest: 1^h 40' caput versus dorsum retrahit:
3^h fluxus salivae definit; pulsus vix sentien-
dus: 3^h 15' pulsus 96; decumbit in dorso, extremita-
tibus aliquomodo flaccidis: 4^h 36' pulsus 76: 5^h urina
involuntaria: 10^h plerumque somno traditus fuit;
pulsus 82, irregularis. Die sequenti paralysis extre-
mitatum posteriorum supererat; appetitus nullus;
spasmi pergunt; 1^h 30' post merid. primum cibum
assumit; ejusque sanitas non nisi lente restituta est.

Grana 5, 11^h 51', alii dedimus: 23' post merid.
horripilationes et spasmi: 57' pulsus 66; somnolen-
tia: 1^h ruit, quando sedet in clunibus; stupiditas au-
getur; aliqua paralysis extremitatum posteriorum;
caput pendens: 2^h pulsus 74: 4^h spasmi extremita-
tum abdominalium; somnolentia aucta; pulsus 64:
6^h pulsus 58: 8^h pulsus propter validiores spasmos
non sentiendus. Die sequenti stupidus, et somno-
lentus; sequenti autem die sanus.

Alii 11^h 47' gr. 6 dedimus: 50' post merid. pul-
sus 76: 1^h 10' somnolentia incipit: 2^h salivatio; pul-

fus 74: 2^h 35' fluxus materiae mucosae ex ore; somnolentia aucta: 3^h salivatio definit: 3^h 30' extremitates posteriores paralytiae flunt, et earum spasmi interdum observantur: 4^h 15' pulsus 80: 6^h 18' pulsus 74; plerumque clunibus infidet et sic saepe ruit; paralyfis aucta: 8^h 5' pulsus 62, vix sentiens; currit melius quam antea; die sequenti bene fese habet.

Cani paululum fortiori 11^h 35' gr. 7 dedimus: 55' post merid. pulsus 108: 2^h 30' sanus videtur: 4^h 15' pulsus 82; ceterum parum affectus: 6^h 15' appetitus bohus; pulsus 76; bene ceterum valet 8^h 10' pulsus 68; sequenti die sanus.

Majori etiam cani quam ceteri 11^h 30' gr. 8 dedimus: 37' post merid. horripilationes et spasmi: 1^h 5' saepissime cadit; pulsus 112; somnolentia incipit: 3^h 30' pulsus 98: 4^h pulsus non sentiendus, sed ceterum animal parum affectum: 6^h 25' pulsus 76; aliqua paralyfis extremitatum posteriorum; appetitus nullus: 8^h 10' spasmi omnium fere musculorum, hincque pulsus non numerandus. Die sequenti leves insuper apparent affectiones, sed sensim melioris factus est conditionis, ita ut vespere jam eibum assumeret.

C A P U T T E R T I U M.

VIRES ET AGENDI MODI OPII EJUSQUE PRINCIPIORUM.

Vidimus varios opii principiorum ipsiusque opii effectus, qui tam in humano quam in animali corpore eorum usum sequuntur. Vidimus hos quam maxime inter se differre, atque in eorum seorsim adhibitorum viribus opii ipsius vires distinctas conspeximus. Consideremus nunc illa singula, ut, comparatione instituta, pateat, quid per se, quid conjunctim valeant.

Trallefii sententia, si antiquiorum medicorum scripta conferamus, vera omnino habenda est. „In „omnibus fere, quae de hoc remedio (opio) vel „quaeri vel dici possunt, inveni sententiarum va- „rietatem, ut pervolutis, perlectis, expensis tot „voluminibus saepe confusior quam instructior re-

„ ces-

„cesferim.” Nec mirum, frequentissime adhibebatur opium, et illud in oppositis casibus effectum salutarem edidisse fuerat observatum, quo factum, ut eo magis a via recta aberratum fuerit, quo saepius illud adhibitum. Inprimis autem duas sibi contrarias de opio offendimus opiniones, alteram, quae vim opii stimulantem, alteram, quae vim deprimentem tuebatur.

Frigidum esse opium, sive vi gaudere deprimente, inter priscos jam statuerunt Dioscorides, Galenus, alii, eo ducti, quia imminutio functionum ejus adhibitionem sequebatur, ut stupor, somnus, alia. Posteriorum etiam temporum Culenus hanc tuebatur sententiam statuens, vim excitantem opii apparentem derivandam esse a vi naturae medicatrice, noxia e corpore expellere conante (1).

Galenicorum autem multi, ut Felix Platerus aliquique, calidum esse opium perhibuerunt, quod odore gravi, penetrante praeditum est, et sapore amaro, quod sudorem excitat et inflammabile valde est, si igni admoveatur, quod pruritus sequitur totius corporis et sitis oritur post ejus adhibitionem. — Hujus opinionis tutores dein fuerunt Bergius, Moench, Grenn, Arnemann, Voigt et aliique (2).

Allii

(1) Cf. *Treatise of the materia medica*, Tom. 2. p. 229. Edinburg 1789. — Hecker's *Practische Arzneimittelkunde*, Tom. 1. p. 407. Erfurt 1814.

(2) *Conf. eorum de materia medica scripta.*

Alii opium et calidum et frigidum esse posse statuerunt, uti Capo de Vacca, quem postea infecutus est Meyer, statuens nervos ab eo magis quam vasa affici, illosque tantum stimulari perhibens, ceterum illud et vim sedantem primitivam et secundariam habere posse, in primis a dosi dependentem, ita quidem, ut dosis minima sedaret motus inordinatos, major vero excitaret plurima organa.

Alii tandem ad occultas opii qualitates confundunt, quia neque cum remediis excitantibus neque cum deprimentibus illud in omnibus quadrare patebat (1).

Quae ad hunc usque diem apud plurimos invenitur opinio eo redit, ut statuatur in opii, quemadmodum in vini, camphorae aliorumque excitantium actione, vi stimulante praegressa, sequi torporem, quasi ad restituendam jacturam, a stimulo praegresso productam.

Qui huic sese opposuit sententiae Wirtensohn in primis dicendus est (2), ex debilitate scilicet cordis, post opium ingestum, explicans accelerationem motus sanguinis, e qua praecipue opii vis stimulans patere videtur.

Sua

(1) Cf. Wedellus in sua *Opiologia*, p. 22 - 31.

(2) Cf. Ejus *Dissertatio demonstrans opium vires fibrarum cordis debilitare et motum tamen sanguinis augere*. In Schlegelii *Thesauro materiae medicae et artis pharmaceuticae*, Tom. 2. p. 331. Lipsiae 1794.

Sua experimenta cepit in ranis, quarum corde denudato et solutioni opii immisso, aut etiam toto **e** corpore exciso, vidi longe minorem numerum pulsationum produci a corde in oplo posito, quam ab alio (1). Quo longius tempus erat praeterlapsum post exhibitum ranae vivae opium, eo citius **cor e** corpore excisum pulsare desinebat (2). Sequenti ratione ratiocinatur.

Quia effectus vis cuiuscunque augetur, si resistentia imminuitur, sequitur cor, **e** corpore excisum, diutius pulsare debere, ceteris paribus, quam si vas afferent ei adnexa et sanguine illud turgeret. Jam vero opium efficit, ut **cor** minorem numerum pulsationum post exscisionem edat; igitur sequitur **cor** opio debilitari debere (3).

Quia vires resistentes in corpore vivo, opio adhibito, magis decrescunt, quam vires agentes, hinc acceleratio et augmentum virium pulsus, experimentis patefacta, explicanda sunt (4).

Causa autem, cur vires resistentes imminuantur, quaerenda est in imminuta vasorum arteriosorum vi contractili, quod probare conatur dissecando ranas duas, quarum una ante dimidium horae assumperat opium **eo** quidem effectu, ut in hac motus intestinalium peristalticus fuerit imminutus (5). Concludit igitur ab intestinalium imminu-

ta

(1) Cf. I. I. p. 336. (2) Cf. I. I. p. 338.

(3) Cf. I. I. p. 343. (4) Cf. I. I. p. 340 et 345.

(5) Cf. I. I. p. 346 et 349.

ta activitate ad arteriarum. Ex hac autem relaxatione vasorum cutaneorum diaphoresin opio productam explicandam esse censet (1). — Turcae et homines opio asfueti ideo non magis sudant, quia orificia vasorum cutaneorum jam ita sunt relaxata, ut opio amplius relaxari nequeant. Debilitatur cor, absque ut magis debilitentur vasa, atque ita perspiratio non oritur. Eodem modo opium operatur in compescendis hepticorum sudoribus (2).

Quamquam opio imminuantur secreciones quam plurimae, has tamen augere quoque potest, si spasmus adsit, relaxando vasorum ultimorum vim contractilem (3).

In inflammationibus igitur opium contraindicatur. Contractis vasis sanguiferis, contentus sanguis maiorem requirit cordis actionem, Sed opio cor debilitatur, stagnat igitur sanguis et morbose locum stimulat (4).

B ar bier pariter auctam circulationem, opio productam, derivat ab inminuta systematis capillaris actione, qua cor magis se intendere debet ad torporem illum superandum. Illud autem probare conatur stagnationibus et infiltrationibus sanguinis in variis locis observatis, in corporibus hominum opio extintorum (5).

Has duas explicationes genuinas non esse facile

pa-

(1) Cf. l. l. p. 350. (2) Cf. l. l. p. 352 et 353.

(3) Cf. l. l. p. 354. (4) Cf. l. l. p. 355.

(5) Cf. *Diction. des sciences médicales*, Tom. 37, p. 476.

patebit, si consideremus Wirtensohn ex tempore intestinorum, opio producto, ad similem conditionem reliquorum organorum concludere. Nulla autem causa adest, cur non eadem ratione cor afficeretur, qua vasa sanguifera, ita ut obstaculum vincere non posse. Deinde Barbier pro fundamento asumpsit infiltrationes sanguinis, illasque causas dicit auctae circulationis sanguinis, quae effectus aequo jure dici possunt.

Ante paucos annos Merat antiquam Willisii sententiam, de opii agendi modo, denuo veram pronunciavit (1). Dicit riempe opium ratione singulari cerebrum et nervos hinc oriundos afficere, atque igitur postquam absorbtum fuerit et cerebrum debilitaverit, reliqua quoque organa debilitare.

Quidquid autem de hisce sententiis sit, videamus tantum quid observatio nos docuerit.

Opii non unam esse agendi rationem, sed maxime diversam ex praecedentibus fatis efficitur. Ita v. c. non solum dosis et corporis conditio universa, idiosyncrasia etiam, rell. multum efficiunt ad modificandum aliquem opii effectum; verum etiam aliquando opium exspectatos non edit effectus, absque ut hujus rei causa aliqua ratione explicari possit. Universe autem notamus dosin minimam stupefacere, medium primum excitare, maximam

(1) Cf. Willisii *Operum omnium Pharmaceutica rationalis*, p. 112. Amst. 1732. *Diction. des sciences méd.* Tom. 17. 474.

mam aut omnium , aut plurimorum saltem functionum torporem producere . Conf. casus antea allati.

Haec si ab eodem provenirent principio , difficile , respectu actionis aliorum corporum , esset intellectu , quomodo fieri possent . Sunt autem principia in opio quam diversissima ; ideoque difficultas , si non integra , pro maxima saltem parte , tollitur . Offendimus enim in opio in primis duo principia activa , morphicum puta atque narcoticum , quae actione sibi sunt opposita .

Narcoticum principium , quod minima adest in opio quantitate et aqua insolubile , non ita agere potest , si minima opii quantitas ingeritur , quam si major quantitas adhibetur , quia ei oppositum morphium , acido meconico solubile redditum , illa quantitate , qua opium aliquem effectum edere potest , jam in organa operari potest . Minima igitur dosi assumptum opium obtundit et certamen inter morphium et narcoticum principium locum habere non potest , quia principii narcotici quantitas minima est , atque adeo idem fere est , ac si non adeset . Paullo majori opii quantitate ingesta , et morphium et principium narcoticum operantur ; sed in omnia simul organa effectum praeflare nequeunt ; certamen quasi inter illa locum habet et morphium post principium narcoticum effectum edere observamus . Hoc morphium per se agit , hoc etiam ideo fit , quia stimulo principii narcotici praegresso debilitata sunt organa , et ad stimulum vulgarem nunc non satis sensilia nt reagant . Maxima vero opii

quantitate ingesta , etiam duo simul operantur ; sed a morphio jam statim quibusdam functionibus torpor inducitur , dum principium narcoticum ratione aliarum functionum eodem modo se habeat , atque alia stimulantia ; quibuscum , si non omnibus , saltem plurimis comparari posse contendimus , uti cum spirituosis aliisque . Videamus , quid de hisce ex experimentis valeat .

In opio duo praeccipue sunt principia activa , morphicum atque narcoticum , actione sibi opposita.

Si analysin opii inspicimus , varia videmus , quae effectum habere nequeunt in corpus , cui applicatur opium . Ita v. c. aqua insolubilia , quorundam pertinet resina elastica , fibra vegetabilis rell . Alia adsunt , quae illa quantitate , qua adsunt , actionem exercere non possunt , uti salsia nonnulla metallica , resina , aliaque . Sunt quoque quae habebantur actionem exercere posse , uti aqua opii (contines volatilia opii principia), materies pinguis sive balsamica , acidum meconicum . Atque ex his primum offendimus aquam opii , quam varii auctores dixerant actionem quandam exercere , experimentis etiam probatam . Inter illos qui directe experimentis probare conati sunt , illam vim quandam exercere Krüger et Orfila tantum numerandi sunt , quorum primum nimium fuisse unicuique patebit , cum nullus aliis , (neque etiam nos , quamvis fortissimam praeparavissemus aquam opii ,) illam hunc effectum vehementer edere viderit .

O r-

Orfila vero non nisi maximam dosin aliquid efficeret, hac vero quantitate nonnumquam mortem produxisse profitetur. Fortissimam hanc aquam opii ad magnam dedimus quantitatem sine ullo effectu. Nos igitur illam, si etiam activam, tamen vix notabili vi praeditam habemus, adeoque nobis potius innocua adhuc habebitur (1).

Materiam balsamicam, quanquam etiam odore gravi opii ipsius praedita inveniatur, tamen nihil efficere patuit (2).

Acidum meconicum secundum Sertuerne vehementes edere effectus aliorum experimentis satis refutatur. Et si accurate hujus et narcotici principii effectus comparemus, diceremus principio narcotico fuisse mixtum, aut totum quantum e principio narcotico constitisse acidum meconicum Sertuerneri Operatur omnino acidum purum, ut videtur, in tractum intestinalem, quem relaxat et alvum deposi- ni efficit, qui autem effectus non illi sunt, de quibus hic agimus; adeoque nobis inactivum dicendum est (3).

Longe vero abest, ut perinde esset, num opio contineatur nec ne. Morphium per illud solubile fit et, quia in genere actio alicujus corporis eo major est, ceteris paribus, quo solubilius sit, hinc morphii super-meconas, qualis opio contine- tur,

(1) Cf. hujus Diss. p. 74.

(2) Cf. hujus Diss. p. 74 et 75.

(3) Cf. hujus Diss. p. 72 et 73.

tur, activus magis habendus est morphio puro; quod etiam experimentis constituit (1).

Restant igitur in opio principia activa tantummodo morphium et narcoticum principium, quorum vires breviter videamus.

Animalia, quae morphium assumerunt, post aliquod tempus afficiuntur stupore, paralysi extremitatum posteriorum, pupillae dilatatione, musculorum vi inminuta, aliisque symptomatibus, dilucide vim deprimentem demonstrantibus. Horum nihil invenitur in illis, qui principium narcoticum ingererunt. Contra pulsus eorum numero et plenitudine et fortitudine augetur, dum morphio pulsus sensim decrescat ita quidem, ut ad lentissimum perveniat (2). Excretiones involuntariae, urinae et fæcum, morphio producuntur, dilucide insensibilitatem demonstrantes; a principio narcotico vix observantur. Vomitus persistens a narcotico principio productus sicut observatus, denotans ventriculum, quanquam materia primis rejectionibus jam fuerit expulsa, adhuc stimulo affici, quod sectione etiam cadaverum patescit, praesente inflammatione, quae in morphio non ita fuit observata. — Sanguinis denique in-

(1) Cf. hujus Dis. p. 88 cum 67 seq.

(2) Pulsus vero narcotico principio inminutus post coecum (cf. hujus dis. p. 59); hoc vero phænomenon non tollit regulam, quia corporis conditio tunc mutata, in primis autem tractus intestinalis et sanguinis, aut ipsius narcotici principii naturam mutare posunt, aut corporis ad recipiendum ejus stimulum aptitudinem.

filtrationes variarum corporis partium principii narcotici adhibitionem semper sequuntur, cerebri, ventriculi, intestinorum; morphio vero non sunt propriae (1); dum pulmones, et morphio lividi saepe facti, etiam denotant sanguinis in hisce circuitum fuisse laesum, quod etiam vim deprimentem declarat, quodque a narcotico principio aut non, aut minus fuit observatum. Et quanquam alcoholis actio non deneganda sit in experimentis cum principio narcotico et illo institutis, tamen actionem principii narcotici cum alcohole mixti, alcoholis puri actionem omnino superare ex illis colligitur (2).

Actio opii aut extracti opii aquos, eadem est atque actio morphii et principii narcotici simul assunti, atque hujus miscelae effectus medium tenent inter effectus principiorum singulorum, per se adhibitorum.

Si morphium et narcoticum principium seorsim sumpta effectum producunt sibi invicem oppositum, aliquam differentiam conspici oportet, si simul sumantur et tunc effectus obseruentur, atque cum sin-

(1) Invenerunt nonnulli intestinorum inflammationem post usum acetatis morphii, (conf. p 84) diutius protratum; verum haec inflamatio vix aliquid probare videatur, quia, uti in plurimis morbis videmus, affecto omni organismo, praecipue tractus intestinalis afficitur, et sanguine infiltratus post mortem invenitur, quod autem morbi effectus dici debet, neque effectus est adhibiti medicamenti, nec ut Broussais voluit morbi causa.

(2) Conf. hujus Disf. p. 57 ad 72.

singulorum seorsim sumptorum effectibus comparantur. Differentia haec nulla melius ratione in lucem prodit, quam pura illa miscendo et animalibus exhibendo, ut fecimus (1). Difficultas autem in hac re aliqua in eo est posita, quia proportionem inter morphium et principium narcoticum in opio quam maxime variare observamus. Igitur quodammodo hanc proportionem imitari studuimus. Si autem non ita fuerint proportionales, quemadmodum in opio sunt morphii et principii narcotici quantitates, unum principium actione praevalebit, adeoque tunc magis adhuc confirmabimur in opinione, opium tantum morphio et narcotico principio agere, tanquam principiis sibi oppositis.

In animalibus, quibus mixturam morphii et principii narcotici dedimus, vidimus stuporem non ita cito ortum fuisse ac si morphium solum assumpsissent; idem vero etiam in opio patuit. Pulsus, qui ceterum morphio sat cito retardatur, narcotico principio acceleratur, medium nunc tenet; quod opium eodem efficit modo. Symptomata non ita diu durarunt, neque tanta vehementia atque a principiis solis adhibitis; quod etiam ab opio factum fuit. Igitur non tantum videmus opium et misce-

lam

(1) Cf. hujus diss. p. 76 seq. Cf. etiam *Annales de la littérature médicale Britannique* Tom. 1. 1824. p. 168. *Sur l'existence de la narcotine et de la morphine dans l'Opium par le Dr. De Sanctis.*

lam morphii et principii narcotici effectibus inter se convenire , verum etiam effectus miscelae medium tenere inter illos , a principiis per se adhibitis productos (1).

Actio morphii , ejusque salium eadem est , ita tamen ut haec magis activa sint.

Morphium solum in ipsum locum , cui applicatur , agere posse ex experimentis constitit (2); verum ejus solubilitas si augetur , atgeatur simul ejus actio necesse est. Etenim , licet non absorbeatur morphium in corpus ingestum , tamen materies magis dividitur et in amplius spatium facilius distribuuntur moleculae , ita ut nervorum fines sic melius attinere possint. Si vero absorbeatur , qua de re nondum constat , requiritur sane , ut solvi possit , ad aliquem effectum producendum. Scilicet cerebrum nervosque hinc oriundos vehementer morphio affici docent sensus externi laesiones enormes , ut oculorum vis fracta aliaque , docent spasmi et convulsiones in plurimis musculis obvii , docent paralysis extremitatum posteriorum , et excretiones involuntariae. Ut igitur cerebrum affectum esse possit , aut nervi in loco , cui morphium applicatum est , afficiuntur , et sic cerebrum sympathice tantum afficitur , aut per vasa sanguifera per universum corpus distribuitur materies , et igitur sic etiam ad

ce-

(1) Cf. hujus diss. p. 76 et 44 seqq.

(2) Cf. *Récherches et expériences sur les effets de l'acétate de morphine* p. 62-73.

crerebrum pervenit, aut per vasa lymphatica absorbtum, sanguinem etiam intrat et eodem modo per corpus dispergitur.

Si absorbetur materies, vestigium ejus reperiri debet in sanguine, quod non reperitur (1), et aliquo tempore opus est, ut ducatur ad locum, quo actionem exercere solet, quod interdum tamen, si citius operatur, locum habere nequit (2), uti in experimento, in quo vulneri erat impositum morphium. Insuper nervi cujusdam percisiti una extremitate in morphii solutionem posita, vehementiores illud edidit effectus (3). Optime igitur nobis ejus actionem repraesentamus, si assumamus nervorum fines ipso loco morphio affici; quod si ita se habeat maxime divisum sit morphium oportet; hanc vero divisionem in genere apud omnes materies stimulantes volatiles, spirituosas aliasque observamus. Acida igitur, quae actionem per se non exercent in corpus animale, morphium parum solubile solubilius reddunt; illud autem non multum aut nihil mutant, quia ejus affinitas cum acidis non est magna, adeoque cum iis non intime existit mixtum, quare etiam morphium per se quasi operatur. In genere, ceteris paribus, quo magis solubile sat constitutat, eo magis actione intenditur morphium; acetas igitur, solubilitate ceteros superans, longe maxime activus est; sulphur minus

ope-

(1) Cf. *Recherches sur l'acét. de morphine* p. 18.

(2) Cf. I. I. p. 41 seqq. et 53.

(3) Cf. I. I. p. 62-73.

operatur, cet; adeoque meconas morphii, qui eodem modo operatur ac extractum opii aquosum sine principio narcotico, etiam inter salia morphii quo ad actionem cum hocce extracto est collocandus. Acidum autem meconicum superabundat in opio, igitur plerumque extractum opii aquosum sine principio narcotico magis activum invenietur quam salia morphii, si nonnulla excipias.

Principii narcotici actio per acida mutatur.

Eadem, qua morphium, ratione principium narcoticum esse acturum colligitur facile, ultimos nempe nervorum fines attingendo. Longe autem alia ratione organismum afficere quam morphium antea jam vidimus, et in primis sistema sanguiferum ab eo affectum observavimus. Sanguinis nempe motus illo acceleratur, quem morphio ejusque salibus et extracto opii aquoso sine narcotico principio retardari vidimus. Huic igitur principio excitantes vires adscribendas putamus, quas in opiphagis apud orientales gentes observari legimus (1); illi tribuenda phantasmata et deliria, quae usum opii sequuntur; illuc etiam pertinent congestiones, inflammations et infiltrations sanguinis, quae in cadaveribus etiam ab opio productae conspicuntur. Ast etiam insolubile aqua est, ideoque quomodo hoc operatur?

Putaveramus igitur acido meconico superfluo principium narcoticum solubile redi et sic actione in-

(1) Cf. hujus diss. pag. 50 et 51.

intendi. Sed quia tantum extractione per aetherem sulphuricum acquiritur, sequitur nullam affinitatem esse posse inter principium narcoticum et acidum meconicum. Praeterea acidorum actionem si conferamus in principium narcoticum, videmus hujus vim quandam mutationem subire, et puri principii narcotici effectus magis convenire cum iis opii ipsius, quam ejusdem cum acidis mixti (1). Et quanquam Clarissimi Magendie experimentorum eventus confirmatos non totos videremus, tamen in omnibus non convenientiunt narcotici principii puri et cum acidis combinati effectus, illudque potius per se in opio operari statuendum putamus.

Quanam tandem causa hoc fiat, nescimus, id autem certum, minimam principii narcotici dosin, puram ingestam, vehementius agere, quam morphium, quod quem ab ejus solubilitate majori pendere non posit, potius a majori, qua gaudet, vi in corpus animale erit derivandum.

Phaenomena, quae post aliquod temporis spatium morphii et principii narcotici usum insequuntur, inminutam denotant reactionem naturae virium in stimulos vulgares.

Si narcoticum principium, quod stimulare vidi mus, effectum suum ediderit, aucta a stimulo fortiori organorum vi, haec minus operari posunt, quia stimulorum antea sufficientium, ut sanguinis rell., activitas in organa est inminuta. Ab hac igit-

(1) Cf. hujus diss. pag. 65 seq.

igitur parte torpor functionibus inducitur. Verum morphium per se hanc functionum activitatem obtundit, adeoque duplii de causa torpor oritur. Igitur et a morphio ejusve salibus solis, et a principio narcotico, et ab horum miscela pura, aut aliis, ut in opio atque extracto opii aquoso fieri solet, mixta, torpor insequitur, tam in sensorio communi, quam in sanguinis motu, organorum abdominalium activitate, rrell. conspicuus. Vix autem est quod moneam, torporem a morphio longe differre ab illo, qui principio narcotico fuit productus. Primum directe, alterum indirecte hunc producit effectum. Primum etiam vehementiorem, alterum levem torporem functionibus animalium inducit. — Videantur plurimi casus antea allati.

Contraria symptomata, quae a morphio et principio narcotico oriri interdum sunt observata, ex idiosyncrasia sunt explicanda.

Vidimus interdum morphio acumen sensuum ad magnum gradum fuisse auctum (1), principio narcotico inminutum (2), quod probare posset contra ea, quae modo exposuimus. Verum si exhibitorum plurimorum activorum medicaminum actionem conferamus, vix unum videbimus, quod non maxime a solitis recententia interdum produxerit phaenomena. Praeterquam enim quod vitae genus, aetas, sexus, temperamentum aliaque, multa efficere possint,

idio-

(1) Cf. hujus Diss. p. 82.

(2) Cf. *Journal de physiologie* Tom 1. p. 34.

idiosyncrasiam dictam offendimus, quae proprie in-
cognitam tantum rationem exponit, qua stimuli
vulgares a via aberrent. Etenim ad naturam agen-
tem et modum, quo agit quaecunque substantia, cor-
pori applicata, ex illis tantum phaenomenis con-
cludimus, quae faepisime fuere observata, hanc-
que veram actionem habemus; exceptiones autem
non probant, generalem regulam non valere. Hoc
etiam nostro in casu tenendum puto, quia in ple-
risque aliter operantur morphium et narcoticum
principium. Ita etiam offendimus homines, qui a
minima opii quantitate vehementer agitantur, ne-
que tamen dicamus minimam opii quantitatem tali
notabili vi excitante esse praeditam.

*Mutatio sanguinis consistentiae ab affectione to-
tius organismi explicanda est, non ab actione che-
mica opii principiorum in sanguinem.*

Sanguinem nunc spissiorem, nunc liquidorem fui-
se inventum post opium ingestum antea vidi-
mus (1). Hoc nonnulli derivandum putarunt ab
actione morphii aut aliorum opii principiorum in
sanguinem. Sed praeterquam quod in venas injec-
tum opium aut morphium nullam majorem sanguinis
mutationem producat, quam per os ingestum, atque
nullum morphii vestigium in sanguine inveniatur post
ejus ingestionem (2), nihil etiam fuit observatum
hujus effectus, si morphium cum sanguine e corpore
de-

(1) Cf. hujus Disc. p. 50. cum 82.

(2) Cf. *Recherches sur l'acét. de morph.* p. 20.

detracto miscetur (1). Potius tribuendum est hoc phaenomenon mutationi universi organismi, et actioni vasorum minimorum, quae actio diversimode modificata saepius invenitur, pro diversa etiam morphii et principii narcotici in opii diversis speciebus relatione. Atque errores vehementes in corde et vasis sanguiferis oriri debere, opio per se adhibito, ex eo patet, quod simul et stimulantur et obtunduntur.

Morphii adhibitionem si mutatio sanguinis sequatur, illud facile inde intelligitur, quia torporem vehementem vasis sanguiferis illud induxit; stagnat igitur saepius sanguis, et inde ejus mixtio turbatur, unde diversa forma sanguis conspicitur.

Paralysis extremitatum posteriorum, in animalibus saepius observata, morphio tantum producitur.

Citius aut tardius post opii aut morphii, ejusve salium, aut denique extracti opii aquosi sine narcotico principio usum, inter alia symptomata observatur etiam paralysis extremitatum posteriorum (2), longius vel brevius durans, pro dosi adhibita rell. Symptoma hoc a principio narcotico non producitur, potius vero corrigitur. Etenim si inspiciamus tempus, quo paralysis animali accidit post morphii, ejus salium aut extracti opii aquosi sine principio narcotico adhibitionem, illudque comparemus cum tempore, quo animalibus super-

ve-

(1) Cf. l. l. p. 60 et 61.

(2) Cf. hujus Dis. pag. 47, 54 seq. 68 seq. 80 seq.

veniebat, post extracti opii aquosi cum principio narcotico, aut mixturae morphii et principii narcotici assumptionem, ultimum longius fuisse obser- vamus. Neque umquam tanta vi adfuit haec paralysis, quam ubi narcoticum principium abes- set. — Hoc phaenomenon igitur denuo agendi modum principiorum horum declarat. Morphium scil. quod effectum producere valet, id tantum inmi- nuendo vim et efficaciam systematis nervae in mus- culos efficit, quod nulla alia ratione quam depri- mendo, et quasi pro momento extinguedo syste- matis nervae actionem, perfici posse intelligimus. Obtundit igitur morphium. Narcoticum vero prin- cipium morphii hanc actionem inminuit, adeoque, quia morphii *naturam* non mutare observatione constat, ratione contraria organismum afficere de- bet, idque igitur, quia morphium obtundit, stimulando tantum perfici potest.

Alcohol ad experimenta in canibus inflituenda, ut solubile quoddam principium reddatur, minus valet.

Quanquam magnum discriminem apparuerit inter actionem alcoholis puri et aliquo nostrorum prin- cipiorum adhibitorum mixti, tamen ipsum alcohol multum organismum in canibus afficere posse antea vidimus (1). Hinc, si aliquam sequelam elicere ve- limus ex experimentis, in quibus alcohol etiam assumptum fuerit, hujus actionem abstrahere debe- mus.

(1) Cf. hujus Diss. p. 59 seq. p. 68.

mus. Universe tamen ejus vim stimulantem principio narcoticō notabiliter auctam esse patuit (1), morphio aliquomodo modificatam (2).

Oleum Olivarum morphii et narcotici principiū actionem utcumque auget.

Morphium et principium narcoticum aqua maxime insolubilia, si dividantur alio medio, ad corpora solubilia, quoad effectum, accedere debent, quia solubilitas, respectu agendi modi, tantum significat corpus solubile maxime dividi posse. Oleum igitur pingue, ut dotem habet suspensa tenendi plurima corpora illi mixta, ita eodem modo et in morphium et in narcoticum principium agit. Haec autem principia, si trituratione maxime dividantur, divisae manent eorum moleculae, adeoque locus contactus corporis, cui applicantur, augetur. — Si autem morphium cum oleo coquatur, quia inter alcalia collocatur, saponem formatum a priori diceres, qui solubilis majori vi polleret; attamen experimentis hoc non confirmatum est (3). Neque hoc etiam fieri potuit, quia oleum coctione ad magnam adeo elevatur temperaturam, ut morphium hac temperatura decomponatur.

Sub cute applicatum opium ejusve principia citius agunt quam in ventriculum ingesta.

Vidimus antea citius effectum prodire opii, morphi-

(1) Cf. hujus Disſ. pag. 59 seq.

(2) Cf. hujus Disſ. p. 68 seq.

(3) Conf. hujus Disſ. p. 63 et 70.

phii, vel principii narcotici, si , vulneri facto inponantur, si in pleuram injicientur , vel alia quacumque ratione corpori applicentur, quam ventriculo ingesta (1). Causam hujus rei in eo quaerendam putamus, quod in ventriculo , succo gastrico , muco aliisque contentis , diluantur et magis dividantur, quam ut certa quantitas eodem permaneat loco. Verum hoc phaenomenon aliquomodo etiam probat, illa non absorberi , sed in ipso loco , cui applicantur , nervos afficere. Etenim vulneris partes , pleura rell. nullo tectae tegumento ; (ut ventriculus muco tegitur) quo a stimulis heterogeneis iis inpositis minus afficiantur , facilius affici debent. Praeterea etiam hae partes non majori gaudent facultate absorbendi quam illa est, qua gaudet ventriculus.

(1) Cf. hujus Disf. pag. 54, 68 et 83.

C A P U T Q U A R T U M.

C O R O L L A R I A P R A C T I C A.

Quandoquidem ut plurimarum artium, ita etiam medicae artis valor totus in ejus applicatione consistit, ob hanc causam haec, quae ceterum ad argumentum minus pertinent, adjecimus. Nihil magis desideraremus, nisi ut ab omni parte, quae hoc pertinent, absolvere possimus; verum obstant plurima, et adsunt adhucum data nimis pauca, quam ut omnia certissime affirmare possumus. Videndum igitur tantum nobis est, quid observatio hactenus docuerit.

1°. Opium crudum minus valet ad usum medicum:

a. Propter diversam in diversis opii speciebus proportionem principiorum activorum, morphii et principii narcotici.

b. Propter varia principia insolubilia, quae illo

H

con-

continentur. Vulgo enim a $\frac{1}{2}$ — $\frac{1}{4}$ insolubilia opio insunt, quod omnino in praescribendis formulis tenendum, quia haec nihil efficere posunt. Si igitur extractum aquosum praescribitur, illud eadem dosi vehementius ageret.

2°. Opium crudum, extractum opii aquosum, tinctura et vinum opiirell, raris in casibus indicata sunt, quia diversa illis inhaerent principia, narcoticum in primis principium et morphium, actione sibi opposita, quae vix simul indicata esse posunt. Si vero non directe sint indicata, propter validam in corpus animale operandi potestatem, contraindicata sunt quam maxime. Eandem ob causam tinctura opii spirituosa non convenit, ubi sedandum est.

3°. Extractum opii aquosum sine principio narcotico adhiberi debet, si vim opii deprimentem habere velimus, ut sedantem, hypnoticam et retardantem secretiones et excretiones, quia narcoticum principium contrarium producit effectum,

4°. Quamvis non statuere audeamus, neque etiam probabile sit, narcoticum principium per se in medicina adhibendum esse, tamen si effectum opii excitantem, diaphoreticum et interdum antispasmodicum habere velimus, principium narcoticum extracto adjunctum maneat oportet.

5°. Si tamen statuatur, principium narcoticum esse adhibendum, melius forsitan miscela morphii et principii narcotici adhibebitur loco extracti opii vulgaris.

6°. Melius tamen, quam extractum opii aquosum sine principio narcotico, morphium adhibemus, quia ejus quantitatem cognoscere possumus, quod nunquam in extracto opii aquoso sit, variante semper morphii, per quod tantum operatur, quantitate, quod experientia saepissime docuit, quum vix effectus observetur ab extracto adhibito, nisi exspectatione longe major vel minor.

7°. Si morphium adhibemus, non purum adhibendum, quia insolubile est, sed potius cum acidis combinatum, quam alcohole solutum, quia ex hoc, addendo liquore aquoso, quod in guttulis saepius fit, morphium denuo praecipitaretur, antea alcohole solutum.

8°. Si cum acidis combinatum morphium adhibetur, cum liquore aquoso misceri potest aut syrupo, aut in pulvere exhiberi, saccharo mixtum.

9°. Ex acidis vero optima sunt acidum acetatum et sulphuricum, quia sal et diutius persistans et facilius acquirendum cum morphio formant.

10°. Acetas et sulphurica morphii quia maxime activa sunt, a minima dosi cum iis incipiendum. Cum acetate, qui activus magis est quam sulphurica, cum $\frac{1}{2}$ gr. incipiendum (1).

11°. Morphii $\frac{1}{4}$ gr. actione fere aequalis est gr. opii et gr. $\frac{1}{4}$ extracti opii aquosi sine principio narcotico (2).

12°.

(1) Cf. Magendie in *Bulletin des sciences*. 1818 Mense Aprilis, p. 54.

(2) Cf. Stratingh I. I. p. 174.

12°. Si oleo subigitur morphium et ita adhibetur, tenendum gr. 6 morphii iisdem viribus polle-re quam gr. 12 extracti opii aquosi (1).

13°. Narcoticum principium et in pulvere, propter majorem, qua gaudet, vim adhiberi potest, et etiam acidis mixtum, dummodo cogitemus tunc actionem ejus mutari.

14°. Si adhibendum est forsitan etiam narcoticum principium cum morphio mixtum, acido solutum ex-hiberi potest.

15°. Veneficium cum morphio et narcotico princi-pio alio modo tractari debent, si seorsim sunt assumpta, quam veneficium per opium factum. — In mor-phio excitanda, in principio narcotico imminuenda est naturae reactio.

16°. Acetum, vulgo inter antidota opii collocatum, ita tantum operari videtur, ut ejus actionem multum augeat, morphii meconatem in acetatem magis solubilem mutando, et sic vomitum producendo. Ce-terum vehementer noceret. Quod etiam inde probatur, quoniam Turcae, opio asfueti, si illo mori cupiant, acetum assumunt. Ventriculus enim eorum, post ali-quod tempus opio assuefactus, vomitum non experi-tur, etiamsi ejus actio intendatur. Imminuit autem simul acetum vim principii narcotici stimulantem (2).

17°.

(1) *Annales de Chimie et de Phys.* Tom. 5. p. 289 n° 4.

(2) Derivatum etiam hoc fuit a vi tonica, acidi acetici in ventriculum Cf. *Annales Britanniques*, Tom. I. p. 179.

17°. Animalia quae morphium assumferant, si agitabantur et sensus illorum excitabantur, ad speciem melioris erant conditionis; quod a vi excitante mentis in corpus derivandum est. Hanc igitur ob causam in veneficiis, cum morphio aut opio factis, rumor excitandus, lumen validum oculis afferendum, cet. ut sensus externi stimulentur.

18°. Opii antidota non satis efficiunt, si morphium tantum separant. Praeterquam enim quod principium narcoticum adhuc remaneat, morphium, licet separatum, tamen aliquem effectum edere potest, in primis si acidum primarum viarum adest.

19°. Extractum opii aquosum optimum paratur, coquendo opium cum aqua, filtrando, et evaporando ad debitam consistentiam, quia et meconas morphii et principium narcoticum ita magis solubilia evadunt.

20°. Si narcoticum principium ex hoc extracto abesse debet, post extractionem opii per aetherem sulphuricum, residuum acido dilutissimo excoqui posset, quia ita magis solubile redditur morphium. Notandum autem etiam, vim hujus extracti hac parandi ratione esse auctam.

21°. Loco spiritus vini aut vini ipsius potius tinctura ex acido dilutissimo et morphio, aut si velis opio ipso a narcotico principio liberato, parari posset, si sedandum est.

22°. Extracta diu evaporata, ut extractum Bauméi aliorumque, minori vi sedante gaudent, quia attractione acidi carbonici ex aëre, supermec-

nas in sub-carbonatem morphii, magis infolubilem, mutatur.

23^o. Tenendum est, cum opio nunquam alcali quoddam esse jungendum ad usum medicum, quia sic ab acido meconico separatur morphium, ejusque actio inminuitur.

T H E S S.

1. *Psychologiae studium, uti cultiori cuique homini, ita medico maximopere commendandum est.*
2. *Diversitates ingenii humani notabiles magis formae crani nativae diversae, quam animi cultui sunt tribuendae.*
3. *Ad harmonicum animi facultatum cultum multum confert, ut harmonice excolamus et perficiamus sensus externos.*
4. *Hominum indoles pro diversa corporis fabrica et constitutione omnino est diversa, quod praecipue tenendum in puerorum educatione.*
5. *In primis autem attendatur ad illa, quae sensibilitatem corporis nimium augere posunt.*
6. *Hinc artem gymnasticam, hodie minus apud nos usitatam, magis excolendam putaverim, ab iis in primis, qui vitam degunt sedentariam.*

7. No-

7. Neque, ut nonnulli putant, studiis nocivum habendum est modicum corporis exercitium.

8. Studiorum etiam varietas, in studiis longius productis, corpori prodest.

9. Temperamentorum humanorum diviso in sanguineum, cholericum, melancholicum, phlegmaticum est reprobanda.

10. Neque observatio fundamenta nobis praebuit hucusque satis firma, quibus inniti posse diviso temperamentorum, quae an unquam reperiantur valde dubitandum est.

11. Virium naturam, ut in reliquis disciplinis physicis, ita etiam in medicina nos prorsus latere omnino tenendum.

12. Tot igitur vires tantum sunt assumenda, quot ad explicanda phaenomena omnino requirantur.

13. Male itaque nonnulli physiologi, inter quos Blumenbachius, plures assumunt vires vitales.

14. Perverse etiam vita propria organis corporis quibusdam tribuitur.

15. Physicam disciplinam promovebit in primis fluidorum, quae dicuntur, in ponderabilium cognitio magis accurata.

16. Male agunt, qui chemiam a physica se jungunt.

17. Hy-

17. *Hypotheses, si in ulla, certe in chemica disciplina facile admittantur.*
18. *Analyses chemicae corporum organicorum magis artibus et disciplinis applicatis, quam ipsi chemiae hodie profunt.*
19. *Experimenta de vi medicamentorum in canes, similiaque animalia instituta, maximae universae utilitatis sunt habenda.*
20. *Si autem non in os ingerendo, sed alia quacumque ratione materiae explorandae eorum corpori applicantur, nil certi probatur de earum in os ingeflarum effectibus.*
21. *Quandoquidem praecipuum medicinae fundamentum est empiricum, theoriae saepius in ipsa praxi exercenda plus nocent, quam profunt.*
22. *Non tamen theoriae omnino sunt spernendae, et Franckio utique assentimur dicenti „sic, „ut apis quovis ex flore mellis quidquam fugit, „ita et medicus in cuiusvis systematis nectario „boni quid invenire potest.”*
23. *Practica veterum Graecorum medicina non omnibus in casibus nobis est adhibenda.*
24. *Causa, cur morborum crises ab Hippocrate observatae, hodiernis fuerint constantiores, petenda est e diversa corporum humanorum constitutione.*
- I
25. Hip-

25. Hippocratis scripta eo in primis nomine sunt commendanda, quod primum eorum fundatum sit observatio accurata.

26. Asumta a Gaubio plethora ad volumen est rejicienda.

27. Pleraque medicamenta, quae in colica flatulenta chemice in gas agunt, plus nocent quam prossunt.

28. Sententia Franckii, humorum in febribus putridis corruptionem oriri ex organorum sanguificationi inservientium debilitate, eo non refutatur, quod febres illae non tollantur medicamentis incitantibus.

29. Mercurius dulcis non est collocandus inter antiphlogistica stricte dicta.

30. Excisio costarum, a Richerando ladata, nunquam instituenda est in affectione carcinomatosa.

31. In determinanda pelvis capacitate multum lucis afferri potest examinando angulum, quem faciunt rami ascendentes osium pubis, symphyseos longitudinem, latitudinem, crasitatem, protuberantiam rell.

32. Hoc igitur examen saltem omni explorationi ope instrumentorum praeserendum.

66737